DE CONCILIIS GENERALIBVS APPROBATIS AC REPROBATIS BREVE COMPENDIVM.

Cui etiam accessit Bullæ in Cœna Domini breuis explicatio.

Auctore F. FRANCISCO Longo à Coriolano Capuccino.

Ad Illustrissimum, & Reuerendissimum D.D. FRANCISCVM BARBERINVM S.R.E. Card. Amplissimum.



ROMAE, Apud Io. Paulum Gellium. 1624

Cum priuilegio, & Superiorum permissu.

Ca

ILLVSTRISSIMO, ET REVERENDISSIMO PRINCIPI

D.D.

FRANCISCO BARBERINO

S.R.E. Cardinali.

FRANCISCVS GELLIVS F.

NON ignoro, Princeps Illustrissime, vt me tibi in vestibulo libri huius ape-

riam, quem tuo auſpicatiſſimo nomini dicandum cenſui, quid iſtam Purpuram, quid Parentem meũ, qui nuncupandi auctor fuit: quid me deniq. ipſum deceat. Faſtigium eius perſonę, quam propitijs Cęlitibus ſuſtines ampliſſimæ cuiuſdam dignitatis eſt. Rem quidem tantum tantulus audere non debui, Patris detrectare imperium non potui. Summa eſt ipſius erga Claritudinem tuam obſeruantia: haud minor meus erga

ean-

eandem cultus; imò, vt in Puero, longè candidior, flagrantiorque. Et verò omnis Sacræ doctrinę instructissimo, eidemque humanissimo Principi Francisco Barberino, quę de Concilijs P. Frãciscus à Coriolano Capuccino contracto in opere eleganter scripserat, par erat, vt Franciscus Gellius omni demissione animi, quam effusissimã exhibet, offerret. Tuæ comitatis, & clementiæ erit, adeuntem nõ reijcere, audaciæ veniam

non negare. At enim si
meum, & Patris debitum
spectes, quos tot, tantisq;
beneficijs hactenus one-
rasti, & oneraturus in po-
sterum videre, suspicio
cessabit audaciæ: tũ in ob-
sequentissimo cliẽtulorũ
perspectus affectus, vt ob
lati muneris exilitatem
contemnas, haudquaquã
patietur. Hoc igitur Car
dinalis amplissime, quæ
gentilitiarum Apum sua-
uitas est, benignissimè ex-
cipe, suauissimè intuere;
meque, & Parentem meũ
in

in ijs numera, qui toto aſſe tui ſunt, tua dici mancipia gloriantur. Vale.

AD LECTOREM

PRAEFATIO.

COnciliorum sacrorum legitimè congregatorum, Decreta, cùm testante Athanasio epist. ad Episc. Afric. *Dei Verbum à Primi Concilii Nicani Patrib. appelletur. Et Cyrillus* lib. 1. de Trin. *eiusdem Concilii Canones eo honore prosequatur, vt diuinorum, ac sanctissimorum oraculorum appellatione dignos existimet. Veteres quoq. Patres ea veneratione legitima Concilia afficiunt, vt eorum Decreta, velut à Spiritu Sancto profecta Euangeliorum instar, sib*

am.

amplectenda, ac sequenda proponant. Si quidem nota omnibus est Apostolica vox, qua Sacrorum Conciliorum auctoritas olim in Ierosolymitano Concilio celebrata fuit; cùm ita rescriptum sit: Visum est spiritui Sancto, & nobis Act. 15. *Vnde à nobis religione coli æquum est, vt non secus, quàm* Dei *ipsius lex, ac verbum quotidie ante oculos nostros versari debeāt. Hinc, vt ad volumina illa nouem in, quibus longa oratione, ea, quæ in quolibet Cōcilio acta sunt, continentur, cuilibet, maximè verò Ecclesiastico, via facilior paretur hoc breue* Compendium, *veluti Isagogen, & Introductionem*

nem quandam, ex nostra magna Conciliorũ Summa *depromptum, ad maiorem* Dei *gloriam, Ecclesiæque Sanctæ utilitatem prælo damus. In quo ea solùm, quæ in quolibet* Generali Concilio *acta sunt: breuiter perstringimus, assignata nihilominus cuilibet reprobato Concilio, siue Conciliabulo sua nota, ut sic granum purum excussa palea, ex huius libelli lectione, unusquisque colligere possit. Vale lector beneuole.*

Con-

Conciliorum Omnium Generalium Oecumenicorum in hoc libello contentorum Elenchus.

Litera A. approbatum. litera R. reprobatum. literæ A. & R. illud partim approbatum, partim reprobatum esse indicant.

14 Con-

Index Conciliorum Generalium, non Oecumenicorum.

1 Lateranense sub Nicolao II.
2 Melphitanum sub Alex. ij.
3 Lateranum sub Alex. ij.
4 Placentinum sub Vrban. ij.
5 Lateranum sub Paschali ij.
6 Lateranum sub eod. Paschali.
7 Rhemense sub Callixto ij.
8 Rhemense sub Innoc. ij.
9 Pisanum sub Innoc. ij.
10 Turonense sub Alex. iij.
11 Veneticum sub Alex. iij.

Index Conciliorum Prouincialium à Papa approbatorum.

1 Ancyranum sub Siluestro
2 Neocæsariẽse sub eod. Siluestro
3 Loadicense sub eodem
4 Gangrense sub eodem
5 Carthaginense sub Siricio
6 Carthaginense sub Anastasio
7 Arelatense sub Siluestro
8 Arelatense sub Siricio

9 Are-

9 Arelatense sub Ioanne j.
10 Arelatense sub Leone iij.
10 Agathense sub Symmacho
11 Arausicanum ij. sub Felice iiij.
12 Aurelianense sub Vigilio
13 Aurelianense sub eodem
14 Aurelianense sub eodem
15 Matisconense sub Pelagio ij.
16 Aluernense, seu Claromontanum sub Vrb. ij.

Fa

Facultas Adm. Reu. P. Generalis pro opere imprimendo.

NOs F. Clemens à Noto Generalis Minister Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Capuccinorum, Summam Conciliorum Generalium R. P. F. Francisci à Coriolano eiusdem instituti, à quibusdam nostris Theologis de mandato nostro reuisam, & approbatam, seruatis seruandis, typis mandari concedimus. Datum Veronę die 12. Ianuar. MDCXXI.

F. Clemens à Noto Minister Generalis.

Imprimatur si videbitur Reuerendissimo P. Mag. Sac. Pal.

A. Episcopus Hieracen. Vicesg.

COmpendium hoc Conciliorum Generalium cum fide, & diligenter concinnatum à F. Francisco Longo Coriolanense Capuccino, mandante Reuerendissimo Sacri Palatij Apostolici Magistro perlegi, nec quidquam in eo reperi, quod sanæ, & Catholicæ doctrinæ non consonet. saluo meliori iudicio. ita testor hac die 23. Iulij 1623.

Hier. Aleander.

Imprimatur. Fr. Nicolaus Rodulfus Ord. Præd. Sac. Pal. Mag.

DE CONCILIORVM PARTITIONE,

eorumque requiſitis.

QVIA in hoc Compēdio Oecumenica tantum Concilia perſtringere ſtatui, vt ex hac lectione veluti ex Iſagoge ad maiora illa volumina, in quibus Concilia ipſa integrè continentur, via paretur; operæpretium duxi ante omnia hic Conciliorum omnium partitionem, eorumque requiſita ponere. Concilia igitur, quæ hucuſque celebrata reperiuntur, ſunt in quadruplici differentia: quædā enim ſunt Oecumenica; quædam Nationalia: quædam Prouincialia, quædam Diœceſana.

Conciliorū omnisū partitio.

Oecumenica ſunt illa, qui-

Concilia Oecumenica quæ.

bus intereſſe poſſunt, & debent Epiſcopi totius Orbis, niſi legitimè impediantur; & quibus nemo rectè præſidet, niſi ſummus Pontifex, aut alius eius nomine. Inde enim dicuntur Oecumenica, ideſt orbis terræ totius Concilia.

Ad Concilia Oecumenica cõditiones quatuor requirũtur.

Ad quæ ex conſuetudine Eccleſiæ quatuor conditiones, & ſufficere, & requiri, colligimus.

1. Vt euocatio Epiſcoporũ ſit generalis.

Prima eſt, vt euocatio ſit generalis, itaut innoteſcat omnibus maioribus Chriſtianis Prouincijs. Id enim conſtat ſemper fuiſſe ſeruatum, adeo vt VII. Synodus Act. VI. ideo iudicauerit Concilium Conſtantinopolitanum contra Imagines, non fuiſſe generale, & Oecumenicum, quia non exijt ſonus eius in omnem terram.

2. Vt nullus Epiſcopus excludatur.

Secunda eſt, vt ex Epiſcopis nullus excludatur, vndecumque veniat, modò

modò conſtet, eum eſſe Epiſcopum, & non excommunicatum. Tertia, vt adſint per ſe, vel per alios quatuor præcipui Patriarchæ, præter ſummum Pontificem, videlicet Conſtantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, & Hieroſolymitanus, quia iſtis ſuberant omnes alij Epiſcopi. Id patet tum ex vſu, tum ex vij. Synodo, Act. vj. Vbi cenſetur, Conſtantinopolitanum contra Imagines, non fuiſſe Oecumenicum; quia non habuit Patriarchas. Et in viij. Synodo, Act. 9. recipitur cum gaudio Vicarius Patriarchæ Alexandrini, tanquam ſine illo aliquid defuiſſet Synodi plenitudini. Verùm hæc tertia non omnino neceſſaria, ſed tantum ad bene eſſe iudicabatur. Nam Synodus iij. ſine Patriarcha Antiocheno damnauit Neſtorium Conſtanti-

3. Vt Patriarchæ ſiue p ſe, ſiue p alios interueniãt.

nopolitanum : & Synodus Chalcedonensis sine Patriarcha Alexandrino omnia ferè conclusit: & nunc non sunt necessarij isti Patriarchę, quia Hæretici, vel certè Schismatici sunt. Quarta, vt saltem ex maiori parte Christianarum Prouinciarum aliqui adueniant; & siquidem Concilium fit in Oriente, semper visum est sufficere, si ex Prouincijs omnibus Orientis Episcopi conueniant multi: ex toto autem Occidente mittantur aliqui à summo Pontifice, qui suppleant aliorum locum. Et è contrario, si celebretur in Occidente, conueniant ex omnibus Prouincijs Occidentis multi; ex Oriente autem pauci aliqui veniant nomine aliorum. Sic in Concilio Nicæno I. ex Occidente solùm fuerunt duo Presbyteri missi ex Italia, vnus Episco-

4. Vt ex maiori parte Christiani Orbis aliqui adueniāt.

pus

pus, ex Gallia, vnus ex Hispania, vnus ex Africa. In Concilio II. & III. nulli fuerunt ex Occidente; sed tamen Pontifex Damasus, & Cœlestinus Concilia illa confirmarunt, nomine suo, & aliorum Episcoporum Occidentis, quos ipsi Romæ collegerant.

In Concilio iv. solum fuerunt Legati Leonis: & præterea misit ipse consensum aliorum Episcoporum Hispaniæ, Galliæ, & Italiæ, qui in suis Prouincijs celebratis Concilijs ad Leonem scripserant, se in omnibus sententiam eius sequi. E contrariò verò ad Concilia Occidentis, vt Lateranen. sub Innocentio III. Lugdunense sub Gregorio X. Viennense sub Clemente V. ac nuper Tridentinum venerunt Episcopi frequentes ex toto Occidente: ex Oriente verò pauci quidam dumtaxat.

Nationalia Concilia quæ.

Nationalia verò Concilia dicuntur ea, in quibus conueniunt Archiepiscopi, & Episcopi vnius Regni, vel Nationis, quibus præest aliquis Patriarcha, vel Primas, qualia sunt multa Concilia Romana, Toletana, & Africana: de quibus illud notandum est, ea licet sint reuera distincta à Generalibus, & Pronincialibus; tamen vtrorumque nominibus interdum appellari. Vocantur enim sæpè Concilia Vniuersalia, vt patet ex Concilijs Romanis sub Symmacho, vbi semper dicitur: *Symmachus Concilio Generali præsidens*: & tamen aderant solum Episcopi Italiæ. Sic in Concilio Toletano III. cap. 18. dicitur: *Præcipit hæc Sancta & Vniuersalis Synodus*: & tamen solum aderant Episcopi Hispaniæ. Idem patet ex Concilio IV. Carthaginensi.

Nationalia Concilia sæpè Generalia vocantur.

Sic

Sic Athanasius Alexandrinum appellat. Apolog 2. In Gallia Concilium Matisconense II. constituit, vt quolibet triennio vniuersalis Synodus celebraretur. Animaduertendum est, tamen quòd interdum talia Concilia Nationalia sunt multò maiora Generalibus Oecumenicis, quoad numerum Episcoporum: & tamen minora quoad auctoritatem: nam Concilium II. Oecumenicum habuit tantum centum quinquaginta Episcopos ex varijs Prouincijs, & Nationibus: & nihilominus Concilium Carthaginense Nationale ex sola Africa, tempore B. Augustini habuit Episcopos ducentos, & septemdecim; vt refert Prosper in Chron anni 420.

Dicuntur ergo ista Generalia, siue Vniuersalia, quia sunt Generalia in eo Regno,

non autem absolutè. Dicuntur autem Prouincialia ista eadem à Gratiano, dist. 3. can. Porrò, quia certis Prouincijs continentur, non autem ad omnes Christianos pertinent, sicut verè Generalia, & Oecumenica.

Prouincialia Concilia, quæ. Prouincialia dicuntur, in quibus conueniunt tantum Episcopi vnius Prouinciæ, quibus præest Archiepiscopus, siue Metropolitanus: & huius generis sunt plurima in Tomis Conciliorum, de quibus etiam vide in nostra Summa Conciliorum. De his videtur loqui vij. Synodus Act. 3. cùm ait, se amplecti etiam decisiones localium Conciliorum.

Diœcesana Concilia, quæ. Diœcesana sunt, in quibus conueniunt tantum Presbyteri vnius Episcopatus, & ijs Episcopus præest: cuius generis paucissima exstant, nec

imme-

immeritò nam vix dici possunt Concilia, cùm in eis ordinariè nullus sit, qui iurisdictionem habeat, præter vnum Episcopum, qui præest.

Nos ergo in hoc nostro Compendio de Generalibus tantum distinctè agimus, & ex his solum de Oecumenicis: nam de cæteris, quæ sub nomine Generalium Conciliorum circumferuntur, reuera autem Nationalia sunt, in fine libelli huius simul disseremus.

†

De differentia Conciliorum Generalium à Nationalibus, & cæteris.

Cōc.gen. à cæteris in duobus differunt.

PLura sunt, in quibus Generalia Cōcilia à Nationalibus, & cæteris Concilijs diuersificantur, præcipuè verò in duobus.

1. Quia Generalia errare non possunt.

Primo, quia Generalia Concilia errare non possunt, cùm totam Ecclesiam repræsentent: vnde si ipsa errarent, & tota Ecclesia pariter, quod est contra illud D. Pauli assertum, quo prædicat, Ecclesiam Dei esse columnam, & firmamentum veritatis. Et præterea non possunt errare, quia sine summo Pontifice minimè fiunt, pro quo Christus orauit, vt non deficeret fi-

des eius. In Nationali verò Concilio de per se, nulla harum causarum locum habet, quando sine summ. Pont. celebrantur. Ex quo fit, vt non solum possint errare; verum, & de facto aliquãdo errauerint. Testis est Concilium Carthaginense sub Cypriano anno 258. celebratum, quod quidem celeberrimum fuit, & legitimum, nempè octoginta quinque Episcoporum, quorum plerique Martyres, aut Confessores erant, vt patet ex Epistola Cypriani ad Iubaianum. Et tamen errauit determinando, vt qui ab hæreticis baptizati essent, iterum baptizarentur. Testis est Quinta Synodus Romana sub Symmacho, vbi legimus, Concilia prouincialia, quia præsentiam Papæ non habent, valitudinem perdidisse. Præterea Prosper in Chronico anni 420 dicit,

Nationalia verò de per se errare possint.

De facto aliqua National. Cõci. errarũt.

dicit hæreſim Pelagianam à Concilio Africano ducentorum, decem, & ſeptem Epiſcoporum damnatam, non prius ab Eccleſia totius Orbis damnatam, quàm Zoſimus Papa decreta illius Concilij probaſſet. Vnde etiam S. Auguſtinus lib. 2. retract. cap. 50. non dicit, hæreſim Pelagianam à Concilijs Africanis, quæ particularia erant damnatam; ſed à Pontificibus Innocentio, & Zoſimo, cooperantibus Africanis Concilijs. Illa ergo Nationalia Concilia, quæ præſentiã Papæ habuere, aut ab eo cõfirmata fuere, nulla erroris macula affecta reperiuntur; quæ verò tali præſentia, aut confirmatione caruere, errare potuerunt.

National. Conc. cum pſentia Papæ, vel ab eo cõfirmata, errare nõ poſſunt

Differunt etiam Generalia Concilia à Nationalibus, quia Generalia res fidei definiunt; Na-

Differũtẽt Cõc. Gen. à Nat. q. Gen. res fidei defi niunt. Natio. nõ ſic.

Nationalia verò, & particularia non sic. At contra hoc videtur obstare cap. *ad abolendam extra de hæreticis*, vbi excommunicantur qui iudicantur hæretici ab Ecclesia Romana, vel à Concilio prouinciali, aut diœcesano. Ergo Concilia prouincialia, & diœcesana faciunt dogmata de fide, alioqui non esset hæreticus, qui ea negaret. Ad hoc respondetur, duobus modis posse iudicari de hæresi. Vno modo de ipsa hęresi secundum se, & quasi in abstracto, vt cùm quæritur, an sit hæreticum, hoc, aut illud dicere. Altero modo, in ordine ad hominem hæreticum, vt cùm quæritur, an hic inciderit in hæresim ab Ecclesia damnatam.

Dico ergo primò, Concilia prouincialia, vel diæcesana, quamuis non possint dog- *Côc. Prou. iudicare possunt, an qs inciderit in hæresim.*

mata

mata fidei constituere; possunt tamen iudicare, an aliquis inciderit in hæresim manifestam, sicut etiam iudicant Inquisitores. Exemplum huius habemus in Concilio Aquileiensi anno 381. sub Damaso celebrato, in quo à triginta duobus Italis, Gallicis, & Pannonicis Episcopis nihil aliud definitum est, nisi Palladium quendam, verum esse Arrij discipulum. Et de hoc precipuè videtur agere caput illud *ad abolendam. ext. de hæret.* nam licet hoc iudicium non sit infallibile; sufficit nihilominus ad excommunicandum.

Concilia particularia iudicare de hæresi possint, quando res est facilis.

Dico secundò, posse etiam Concilia particularia censere de hæresi secundum se, quando res est facilis, & in qua omnes ferè Doctores conueniũt. quomodo Concilium Antiochenum anno Dom. 266. sub

Dio-

Dionyſio Papa celebratum, de hæreſi Pauli Samoſateni iudicauit, apud Baronium ſub anno 266 num. 2. & ſeqq. Conuenerunt enim vndique Epiſcopi, non tanquam ad rem dubiam, ſed tanquam ad manifeſtum lupum de ouili Chriſti eijciendum.

Dico tertio, poſſe etiã Concilia particularia definire dogmata verè dubia, & eorum decreta eſſe firma, ſi id faciunt ex commiſſione Sedis Apoſtolicę, vt fecerunt Patres Concilij Arauſicani II. Toletani I, tempore Leonis I. Synodi Complutenſis, tempore Sixti IV. Vel ſaltem, ſi deciſionem ſuam ad ſummum Pontificem mittant, ab eoque confirmationem accipiant. quomodo conſtat factum eſſe in Concilijs Mileuitano, & Carthaginenſi, ex Auguſtino Epiſt. 90. 91. 92. & 93. imo credibile

Concilia particularia ex commiſſione Sed. Ap. dogmata dubia definire poſſunt.

Idem facere valent, ſi à Papa confirmentur.

dibile eſt, nullum Concilium particulare definiuiſſe aliquid de fide, ſine approbatione Sedis Apoſtolicæ. Et de his omnibus intelligi poteſt citatum cap. *ad abolendam*.

Concilia particularia à Papa non cõfirmata, argumentum probabile faciũt

Cætera verò Concilia particularia à ſummo Pontifice non expreſsè confirmata, faciunt argumentum adeò probabile, vt temerarium ſit ei non acquieſcere, ſic in vij. Synodo act. 3. & in viij. Synodo act. vlt. can. 1. honorantur Synodi locales, & ſuſcipiuntur: nec fit ibi mentio confirmatorum, vel non. Quòd ſi aliquot ſancti Patres caſu in eandem ſententiam conuenientes faciunt argumentum probabile, quantò magis quinquaginta, aut ſexaginta Epiſcopi ſimul conuenientes, & Spiritu ſancto inuocato, aliquid communi conſenſu ſtatuentes?

De

De Concilio Nicæno.

PRimum Concilium generale fuit Nicænum, quod celebratum fuit ab anno Domini 327. vſque ad annum 330. qui fuit annus 15. Silueſtri Papæ, & 20. Conſtantini Imperatoris. Contendunt Hęretici, inſcio Silueſtro, illud à Conſtantino fuiſſe indictum & probare ſe dicunt ex Ruffino, lib. 10. cap. 1. *Ex ſacerdotum ſententia*, inquit iſte, *apud Vrbem Nicæam Sacerdotale Concilium cõuocat Conſtantinus*. Sic ille. Sed quod iuſſu Silueſtri Papę à Conſtantino Imperatore totum factũ fuerit, patet ex Sexta Synodo Act. 18: vbi Patres ita dicunt: *Conſtantinus ſemper Auguſtus*,

Anno Domini. 327.

Conſtantinus iuſſu Silueſtri Papæ Concilium Nicænum cogit.

ſtus, & Silueſter laudabilis, magnam, atque inſignem in Nicaa Synodum congregabant. Quinimo Rhegino apertè indictionem Concilij Nicæni Silueſtro adſcribit. Et probabile eſt, quod Cardinalis Baronius circa annum Domini 325. annotatum reliquit, Conſtantinum cum Silueſtro egiſſe de Synodo egendâ, & de ea re inter eos conueniſſe potiſſimum ad reprimendos Arianos: de quorum inſolentia Alexander Alexandrinus Epiſcopus iam tum Pontifici, tum Imperatori Romano conqueſtus erat. Antequam autem Concilium indiceretur, miſſus eſt à Silueſtro Oſius in Orientem ad Conſtãtinum Imperatorem (indubiè cum mandatis de adhibendo remedio communibus votis Arianiſmo iam gliſcenti) qui Conſtantinus eumdem Oſium

Ale-

Alexandriam misit ad sedandas turbas Schismaticorum (testis Eusebius, lib. 2. cap 62. in vita Constant.) Re autem infecta redeunte Osio Constantinopolim, progressus est Constantinus ad indictionem Generalis Concilij, cui idem Osius præsedit ex parte Pontificis, tanquam Apostolicæ Sedis primus Legatus: cui etiam in hoc munere adiuncti fuere alij duo Presbyteri Vrbis Romæ, Victor, & Vincentius, vt patet ex subscriptionibus. Hi enim tres primi omnium subscripserunt. Et confirmat Cedrenus in Compend. Hist. & Photius, in lib. de septem Synodis, qui dicunt, Siluestrum per suos Legatos Concilio Nicæno auctoritatem contulisse.

Osius Cōcilij Nicæni Præses.

Idem habet Athanasius, in Epist. ad solit. vitam agentes, vbi dicit: Osium Principem fuisse

Osius Symbolum Nicænum cōposuit.

fuiſſe in eo Concilio, & ipſum eſſe, qui compoſuit Symbolum, quod dicitur Nicænum. Ex quibus nō ſolum habemus, quod contra hæreticos volumus; ſed etiam obiter colligimus falſum eſſe, quod ait Pighius, lib. 6. c. 1. de Eccleſiaſt. Hierarch. Conciliorum Generalium conuocationem eſſe inuentum Magni Conſtantini. Non enim hoc ipſe per ſe excogitauit; ſed ſacerdotum ſententiam ſecutus eſt; & præter Ruffinum ſupra citatum, Damaſus quoque in Pontificiali ſcribit, nempe cum Silueſtri conſenſu habitum eſſe in Nicæa Concilium.

Conciliorũ generaliũ inuentum non Imp. Conſtantini, ſed ſum mi Pontif. fuit.

Cur autem hoc Concilium, & quatuor alia ſequentia generalia approbata, ſcilicet Conſtantinopolitanum I. Epheſinum I. Chalcedonenſe, & Sardicenſe non ſolus Pontifex indixerit, vt poſtea factum eſt,

Cauſæ cur in primis tẽporibus Concilia generalia abſque Imperatoris conſenſu non celebrabãtur.

est, ratio non erat, quia sine auctoritate Imperatoris Concilium coactum non esset futurum ratum apud Christianos, vt somniant aduersarij: cùm aperte dicat Athanasius in Epist. ad solit. *Quando vnquam iudicium Ecclesiæ ab Imperatore auctoritatem habuit?* sed propter alias iustissimas causas.

Quarum prima erat, quia tunc adhuc vigebat lex illa Imperialis antiqua, quæ prohibebat, omnia Collegia, & frequentes hominum Conuentus sine Imperatoris auctoritate; eò quod metuerent Imperatores, ne seditio aliqua fieret. Vide l. 1. ff. de Colleg. illicitis. Et l. Conuenticula. C. de Episcopis, & Presbyteris.

Prima causa propter legẽ, quæ id vetabat.

Secunda; quia etiam si lex illa non fuisset, cùm Imperatores eo tempore in magna

Secunda, quia Imp. tunc in magna parte Orbis terræ imperabatur.

parte Orbis terrę imperarent non poterat fieri Concilium, nisi in aliqua Vrbe Imperiali. nulla autem ratio sinit, vt in aliquo loco ex toto Orbe Conuentus fiat, sine licentia Domini illius loci: sicut etiam modò si Concilium non fieret in Terris Pontificis, sed in Gallia, in Hispania, vel Germania, sine dubio peteretur consensus eius, cuius est illa Ciuitas, vel Prouincia.

Tertia quia tunc Concilia generalia fiebant sumptibus publicis.

Tertia; quia eo tempore Concilia Generalia fiebant sumptibus publicis, præsertim quoad transuectiones Episcoporum ad locum Concilij: vehebantur enim equis, aut vehiculis ciuitatum sine dispendio Ecclesiarum. vt constat ex lib. 3. de vita Constant. vbi etiam Eusebius addit, *toto tempore Concilij Imperatoris sumptibus omnes Episcopos vixisse*. Idem etiam patet

ex

ex Theodoreto, lib. 2. cap. 16. vbi cum Liberius peteret Concilium, respondit quidam, *non sufficere censum publicum subuectioni Episcoporum.* Item ex Epist. Constantini IV. ad Pont. Roman. quæ habetur initio VI. Synodi idem patet.

Quarta ratio est; quia eo tempore Pontifex etsi in spiritualibus esset Caput omnium etiam Imperatorum; tamen in temporalibus subijciebat se Imperatoribus: & ideo non poterat inuito Imperatore aliquid agere. Et cum tantum debuisset petere ab Imperatore auxilium ad conuocandum Synodum, vel vt permitteret Synodum conuocari; tamen quia Dominum suum temporalem eum agnoscebat, supplicabat, vt iuberet, conuocari Synodum. At post illa tempora istæ omnes causæ muta- *Quarta quia tunc Pontifex in temporalibu. Imperatori subijciebatur.*

tæ ſunt: nam nec lex illa nunc viget: nec Imperatores in toto Orbe dominantur: nec ſumptibus publicis fiunt Concilia: nec ſunt Gentiles, qui impedire poſſint: & Pontifex, qui eſt Caput in ſpiritualibus, non eſt vlli ſubiectus in temporalibus: cùm etiam ipſe in ſuis Prouincijs ſit Princeps ſupremus temporalis, ſicut ſunt Reges, & Principes alij. Id quod diuina prouidentia factum eſt, vt Pontifex liberè munus ſuum exequi poſſit.

Patrum numerus qui ad Cõcilium cõuenerunt. Conuenerunt ad hoc Concilium, vt refert Athanaſius (qui etiam interfuit, in Epiſt. ad Iouianum Imp.) tercentum decem & octo Epiſcopi. Qui numerus, Auctore S. Ambroſio in Præfat. librorum de fide, Sacer eſt, & myſticè præfiguratus 318. militibus illis, quibus Abraham de quinque Regibus victoriam reportauit.

In hoc Concilio non minus quàm Ephesino, & Chalcedonensi Sacrosanctum Euangelij Codicem, qui Dei Iudicis personam repræsentaret; Sede Regia in medio consessus Episcopalis, vt eum omnium vultus intuerentur, collocatum fuisse, non dubium est. Vide Baron. anno 325. num. 60.

Euangeliorum liber in medio consessu cũ dignitate collocatur.

Causæ conuocandi hoc Cõcilium duæ primariè fuerunt. Vna, vt de Cristi Domini Diuinitate blasphema Arij sententia in iudicium Ecclesiæ vocata, discuteretur, & quid de ea fideles sentire deberent, definitiuo iudicio decideretur. Arrius enim, cùm Theologiæ professor esset in schola Alexandriæ apud Aegyptios, eius hæresi, & errore mirabiliter Ecclesiæ concordia diuulsa est: eius enim error ita placuit Orbi, vt doctissimi Epi-

Causæ conuocandi Concilij.

Arrij vita

Arrij error, quam late diffusus sit.

Epiſcopi, & vniuerſa ferè Orientalis Eccleſia, plurimi etiam in Occidente, eum amplexi ſint. Fuit nempe huius impietatis tam incredibilis ſucceſſus, vt omnes ferè Romani Imperij Eccleſias hæc lues peruaſerit magna nimirum facilitate, ac plauſu id cunctis ſequentibus, quod Imperatoribus, quod Epiſcopis ferè omnibus probari videretur. Scribit enim ſanctus Hilarius lib. cont. Conſtantium Auguſtum, centum, & quinque Epiſcopos fuiſſe, qui Arrij perfidiam ſequebantur.

Centum et quinque Epiſcopi Arriani.

Alexander Alexãdriæ Epiſcopus, Arrianæ hæreſis maximus impugnator.

Inter cæteros verò Orthodoxos Patres, qui ſeſe huic errori infracta animi conſtantia opponebant, primus Alexander Alexandriæ Epiſcopus fuit, qui à Conſtantino impetrauit, vt Nicænum Concilium cogeretur, in quo damnata eſt hæreſis Arriana. Proinde

inde proſcriptus, & eiectus eſt à regno Arrius. At mortuo Conſtantino, presbyter quidam apud Conſtantium ſumma familiaritate, & cui omnia ſua conſilia crediderat effecit, ſuo ſuaſu apud Imperatorem, vt reuocatus Arrius, priſtino ſuo officio fungeretur. Sopitum vtcunque incendium antea, iterum exardeſcere cępit vehementius: adeò vt Cæſar Conſtantius etiam hunc errorem Arrij amplecteretur. Cæterùm, ſtatuto tandem die, à Conſtantio, quo Alexander, & Arrius inter ſe publicè conferrent de ſcripturis, totam noctem in orationibus conſumpſit Alexander, in templo orans Deum, ne Arrianæ ſectæ contagium ſerperet latius. Quare manè ſub conſtitutam diſputationis horam, cùm in auditorium pergeret Arrius, cæpit inter eun-

Arrij horrenda mors dam, ventris dolore laborare, & exonerandę alui causa cloacam ingressus est, vbi præter omnium opinionem fataliter illicò perijt. vnà enim cum excrementis, viscera, diuino miraculo effudit, vt habet Athan. ad Serap. orat. 1. contra Arr.

Arrij hæresis damnatur. In hoc ergo Concilio Nicæno damnata est heresis hæc Arrij, negantis diuinitatem, coæqualitatem, nec non & æternitatem Filij cum Patre: *Gloria P. & Fil. & Spiritui S. dicitur glorificationis hymnus.* & statutum, vt post hymnum glorificationis, qui est, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto*, adderetur: *Sicut erat in principio, & nunc & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.* Editum etiam est symbolum fidei, in quo Filij Diuinitas est planè explicata: *Symbolum fidei statuitur.* additaque est illa particula, *Consubstantialem Patri*: cùm Arriani contenderent; non

nō esse dicendum, Filium esse eiusdem substantiæ, sed similem.

Altera causa celebrandi Cōcilium fuit, vt antè sæpius oppressa Quartadecimanorum secta, nunc reuiuiscens, semel radicitus euelleretur. Vetus namque hæc cōtrouersia fuit iam tempore Polycarpi agitata: sub Victore autem Romano Pont. celebrato in Palæstina Concilio, definita. At quāuis plurimi resipuissent, Syri tamen, Apostolicam traditionem prętexentes, adhuc in schismate persistebant, more Iudæorum, die 14. Lunæ, sanctum Pascha celebrantes, non autem die Dominico, post dictam Lunam, vt cęteræ omnes Ecclesiæ. Fuit autem magno cum labore eadem causa ad finem perducta, & omnes spōte ad Ecclesiæ consortium redierunt, & pro Ecclesia ad-

Quartadecimanorū hæresis dānatur.

Pascha die dominico; post 14. lunam Martij celebranda.

uersus Arrianam hæresim stre nuè depugnarunt.

Numerus Aureus cō stituitur.

Ad facilius autem inuenien dum cuiuslibet anni Pascha- lem diem, constitutus est in Nicæno Concilio *Numerus* ille, qui *Aureus* nominari con sueuit, decem, & nouem annorum periodum continens.

Romanæ Ecclesiæ Primatus profitetur.

Præterea, recognouerunt Patres, Ecclesiam Romanam primatum habere super omnes alias Ecclesias; *Perpendimus*; inquiunt, *omnem quidem Primatum, & honorem præcipuum secundum Canones, antiquæ Romæ Deo amantissimo Archiepiscopo conseruari*: Vnde mirum est, quid in mentem venerit aliquibus Græcis (in quibus fuit Theodorus Balsamen) dicere, Romanam Ecclesiam à Nicæno Concilio, priuilegia, quibus potitur, esse sortitam, & tunc esse institutum Roma-

num

num Patriarchatum, atque tres alios, quo nihil insulsius dici potuit: cum Nicolaus Papa scribens ad Michaelem Imp. Romanæ Sedis aduersarium, hæc inter alia dicat: *Proinde animaduertendū est, quia non Nicæna, non denique vlla Synodus, quidquam Romanæ Ecclesiæ contulit priuilegijs, quæ in Petro nouerat, eam totius veræ potestatis pleniter meruisse, & cunctarum Christi ouium regimen accepisse: Sic ille.*

Romana Sedes à nullo Concilio sed a Christo in Petro primatum habuit.

Præter prædicta de fide, alia quoq; determinata sunt in Synodo ad correctionem morū. Inter quæ est, non esse Concilia celebranda, nec Episcopi damnandi, absque Romani Pont. sententia. De quibus meminit Athanasius cum Synodo Alexandrina, epist. ad Felicem II. prout refert Leo X. in constitut. quæ incipit, *Pastor*

Episcopi non dānādi absque Ro. Pontif. auctoritate.

æternus. §. Nec illud.

Mulieres extraneæ n domi b. clericorum versari, prohibentur.

Interdixit itidẽ magna Synodus, non Episcopo, non præsbytero, aut diacono, nec alicui omnino, qui in clero est, licere subintroducere mulierem, nisi forte aut matrem, aut sororem, aut amitam; vel eas tantum personas, quæ suspitiones effugiunt.

Excõmunicati ab vno, ab altero nõ recipiantur.

Item statuunt, vt excommunicati ab vno, ab altero non recipiantur. Vtq. bis in anno Antistites Concilia celebrent, ad quæ causæ deferrentur eorum, qui ab Episcopo se iniustè passos aliquid, conquerentur. Hæc, & alia plura vtilia statuuntur in hoc Concilio.

Concilia bis in annõ celebrẽtur.

Subscripserũt S. Synodo omnes Patres, excepto Eusebio Nicomediensi, & Theogni Nicæno. Sed Deus pacis, & non dissensionis, duorum illorum dissensum, duorum Episcoporum

rum

rum iam vita functorum admirabili, & miraculoso consensu voluit confundere, trecentorumq. illorum, & amplius Patrum consensum miraculo illustrare. *Nicephor. lib. 8. cap. 23.*

Duo Sancti Episcopi Chrysantus, & Musonius, cum nondum decisioni suas adiecissent subscriptiones, accidit, vt diuina prouidentia ab humanis excederent. Diuini Patres ad locum sepulturæ illorum accesserunt, & quod purius vita functi in cœlis cernerent, subsignationem tanquam à viuentibus petentes, Canonum libellum loculo superimposuerunt, totamq. illam noctem in orationibus vigilarunt. Die sequenti, cum ad loculum venissent, solutis, quæ erant imposita, signaculis, cum Sanctam reuoluissent decisionem, inuenerunt Sanctorũ Patrum adiectas illis subscriptiones; adeò *Synodus Nicæna etiam miraculosè formatur.*

vt citra dubitationem vnusquisque, etiam ex eis, qui erãt extrinsecus, fateretur, Sanctorum illorum Patrum Chorum constare pręsentia, & ope Sanctissimæ Trinitatis. Subcriptio autem fuit hæc: Chrysantus, & Musonius, qui cũ Patribus omnibus in S. Prima Oecumenica Synodo consensimus, quamuis corpore translati, manu tamen propria nos quoque libello subscripsimus.

Confirmatur Concilium à Siluest. Pap.

Confirmatum est prætera Concilium hoc à Siluestro Papa in Concilio Romano II. cũ 272. Episcopis, petentibus id Patribus eiusdem Nicæni Concilij iuxta Canonem Apostolicum, quo ne decreta aliqua absque sententia Episcopi Romani in Ecclesia sanciantur, & promulgẽtur, prohibitum est, vt refert Socrates, lib. 2. c. 13. Sic autem confirmationem pe-

Patres Cõcilij à Papa confirmationem petunt.

tierunt

tierunt Patres. *Quicquid constituimus in Concilio Nicæno, precamur vestro oris consortio confirmetur. Oret Beatitudo tua pro vniuerso Concilio.* Sic illi. Quam confirmationem impetrarunt his verbis: *Quicquid in Nicæa Bithyniæ constitutum est, ad robur Sanctæ Matris Ecclesiæ Catholicæ, à Sanctis Sacerdotibus 318. nostro ore confirmamus. Omnes qui ausi fuerint dissoluere definitionem Sancti, & magni Concilij, quod apud Nicæam congregatum est sub præsentia piissimi, & venerandi Principis Constantini Augusti, anathematizamus.* Et dixerunt omnes, *Placet.*

Papa confirmat Cõcilij decreta.

Huius autẽ Concilij auctoritas in tãta veneratione fuit semper apud Patres, vt eius decreta, *cælestia mandata*, alij appellarint. August. lib. 1. de

Cõcilij huius auctoritas quanta.

Baptiſmo,c.18. Alij, *Verbum Dei*: alij, *Diuinum, & Sanctiſſimum oraculum Spiritus Sancti*: vtpote cuius Canones per Spiritum Sanctum ordinati fuerint. Ita Athanaſ. epiſt.ad Epiſcopos Africanos. Leo epiſt. 53. ad Anatolium. Cyrillus, 1. de Trinit. Hoc ſicut, & tria ſequentia Oecumenica Sacroſancta Concilia, ſe non minus, quam quatuor Euangelia venerari affirmat S. Gregorius, lib. 1.epiſt. 24. *Qui huic Concilio contradicit, non eſſe Catholicum, ideoq. excommunicandum*, ſcribit Leo, epiſt. 77. & 78. Athan. epiſt. ad Africanos: *Verbum*, inquit, *Domini per Oecumenicam Nicææ Synodum manet in æternum.* Ambroſius epiſt. 32. *ſequor tractatum Nicæni Concilij, à quo me nec mors, nec gladius poterit ſeparare.* Et denique

Hila-

Hilarius reipſa exilium paſſus eſt propter Nicænam fidem, vt ipſe teſtatur in fine libri de Synodis.

In hoc Concilio admirabile factum Principis Conſtantini, non puto reticendum. Etenim cum ex omnibus penè locis Epiſcopi cōueniſſent, & diuerſis ex cauſis inter ſe diuerſa iurgia detuliſſent, interpellabatur frequenter a ſingulis. Offerebantur libelli, culpæ proferebantur, & magis ad hæc, quàm ad id, ad quod fuerat ventum, animos dabant. At ille ſuſcepit à ſingulis libellos, quos ſimul omnes in ſinu ſuo continens, nec in eis quod contineretur, aperiens, ait ad Epiſcopos: *Deus vos conſtituit Sacerdotes, & poteſtatem vobis dedit de nobis quoque iudicandi; nos à vobis rectè iudicamur: vos autem non poteſtis ab homini-* *bus*

Conſtantini admirandū exēplum, & à cunctis Principibus imitādum.

Iudices Seculares de cauſis Eccleſiaſticis propria auctoritate iudicare non poſſunt.

rici, qui deliquit, quàm punire delictum, dissipando eius famam. *Plus enim nocet exemplum delinquendi, quod ex delicto reuelato per punitionem præbetur, quàm condonatio delicti secreti præteriti facta pœnitenti.*

De Concilio Antiocheno.

ANno 341 vel vt alij 344. vel 345. anno V. Constantij Imperatoris congregatum est Concilium Antiochenum, quod iuxta opinionem Arianorum, secũdum Generale est, sed decipiuntur, cum sit reprobatum. In hoc Concilio Eusebiani Ariani Athanasium deposuerunt, & Gregorium Cappadocem substituerunt peregrinum, & externum hominem, neque Alex- *Anno* 341.

Arianorũ Legati de calumnijs cõuicti ad Concilium prouocant.

lexandria baptizatum, neque plebi cognitum, neque à Presbyteris postulatũm, vt conquæstus est Iulius Papa. Res sic se habuit. Cum Iulius Pontifex anno Christi 340. Concilium, quod Arianorum Legati per Alexandrinæ Synodi deputatos conuicti, ad causam Athanasij ab exilio reuocati latius discutiendam, Romæ indici, ac celebrari petiuerant, indixisset, eosque ad præfinitum terminum citasset iamque Athanasius vltra annum eorum aduẽtum præstolatus fuisset, vt honesto prætextu indictum Romę conuentum subterfugerent; auctore Constantio procurarunt, vt Antiochiæ nobilissimi illius templi, quod à Constantino Magno inceptum; quodque sub Constantio postmodum absolutum, præ sui excellentia Dominicum aureum appel

Occasione Encæniorum Episcopi Antiochię congregati.

Quot Episcopi, & quales Antiocheno Cõcilio interfuerint.

atum

latum fuit, encænia, & dedicatio celebraretur. Callidum Imperatoris inuẽtum placuit. Conuocantur à Constantio per literas Episcopi nonaginta, teste Athanasio. lib. de Synod. Ex his triginta sex Ariani erant; verùm quam occultam in pectore gerebant hæresim, ac fraudem, mirificè admodum tegebant. Ne etenim viderentur non Catholici huius Conuentus principio, Arianum nomen publicis scriptis auersati sunt, atque extrinsecus insignes sese fidei, ac morum vindices iactitarunt, eo ipso quod Eustathium ob adulterium, & impij Sabellij hæresim condemnatum, Episcopum deposuissent. Mirum igitur videri non debet; quod cum Arianis Catholici conuenerint, simulque in vno, eodéq. Concil. cõsederint. *Ariani se Arianos esse negant.*

Peracta igitur Templi dedica- *Acta Cōc.*

dica-

dicati celebritate, in eodem Epiſcoporum conuentu cauſa Athanaſij in iudicium deducta eſt: poſt repetitas eas calumnias, quæ in Tyrio Conuentu propoſitæ, ac refutatæ fuerant, accuſatur, quod contra Canones ab exilio reuocatus, & priſtinæ Alexandrinæ Eccleſiæ reſtitutus ſit: nam Epiſcopatu amotum non aliter, quam per Concilium reſtitui oportere, aiebant: hoc modo cùm Athanaſius reſtitutus non fuiſſet, Euſebianorum calculo dumtaxat diiudicatũ eſt, eum iuſtè depoſitum à Sede Alexandrina, cui non legitimè reſtitutus eſſet, deturbandum, aliumque in eius locum ſubrogandum eſſe. Huic decreto, quantumuis Epiſcopi Catholici maioris numeri voto ſuo contradicerent, Conſtantij tamen Imperatoris nutu, fauore, ac voluntate, illud

Athanaſius Sede Alexandrina deponitur.

ſar-

ſartum, tectumque habitum eſt, quod Euſebiani numero pauciores conſtituerant. Poſt multa de ſubrogando in locum eius alio Epiſcopo, ex ſententia Euſebij Nicomedienſis olim, nunc Conſtantinopolitani, Euſeb.Emiſ. *quē S.Hier. Arianæ factionis ſigniferū appellat*, ad Sedem Eccleſiæ Alexandrinæ capeſſendam deſignatus eſt: nam putabat illum tum propter piæ vitæ inſtitutionem, tum propter ſingularem in dicendo facultatem, animos Aegyptiorum à beneuolentia, quæ Athanaſium complectebantur, facilè auocaturum. At vbi Epiſcopatum capeſſere recuſauit ratione ſecum inita, quod paratum in odium apud Alexandrinos incurreret, qui videre non poterant alterum in locum Athanaſij ſubrogatum, Eccleſiæ Alexandriæ Epiſcopatus Gregorio

Gregorius Athanasio suffectus quis, & qualis.

gorio tributus est; homini nimirum Ariano peregrino Cappadoci, quem Philagrius, & Arsaccius præfecti, magna Catholicorum strage, anno Christi 342. introduxerunt: Sardicensis Concilij Patres deposuerunt: quem denique populus Alexandrinæ Ecclesiæ decimo mense post habitum Sardicense Concilium occiderunt.

Eusebiani nouam fidei formulam edunt quam Catholici reijciunt.

In hoc eodem Concilio Eusebiani nouam fidei formulam cæteris prolixiorem ediderunt, qua se ab Ariano contagio procul abhorrere significarent: cum tamen suis verborum inuolucris, omisso *Consubstantialitatis* nomine, eo se maximè infectos probarent; quam propterea Occidentales Episcopi fidei, imò perfidiæ formulā reiecerunt; in primis verò Iulius Romanus Pontifex, Athanasius, lib.

2. de

2. de Synod.cap.20. Socr. lib. 2. cap. 15.

Gratianus male hanc Synodum inter Concilia à Catholicis habita recenſet, diſt. 16. cum ait. *Quinta eſt Antiochena;* Pro quo, ſciendum, quod tam à Gratiano, quàm à Carranza in ſuaSumma confunditur Concilium hoc cum alijs quibuſdam ibidem celebratis: Septem enim fuerunt ibi habita Concilia. *Gratiani, & Carranzæ lapſus.* *Concilia Antiochena ſeptem*

Primum ſub Principe Apoſtolorum, anno 57. Pamphilus enim Martyr (prout refert Turrianus, lib. 1. c. 21. aduerſ. Magdeburg.) teſtatur, Antiochiæ ab Apoſtolis ad ſedandas controuerſias illic exortas, habitam eſſe Synodum, atq. in ea editos fuiſſe Canones, in Bibliotheca Origenis poſtea repertos. Cuius etiam rei firmiſſimum teſtimonium dat Synodus Nicæna II. Act. 1. his

verbis

verbis: *In Synodo Sanctorum Apostolorum, quæ apud Antiochiam congregata est, dicitur. Et ne vltra errent hi, qui salui fiunt, circa idola: sed pro eis imaginentur Dei virilem statuam Domini nostri Iesu Christi*. De quã Synodo meminit etiam Innocentius I. epist.18.quę habetur in 1.par. 1. tom. Concil. Coloniæ impressorum.pag. 617.col.2.sub num. 1.

Secundum & tertium Concilium Antochenum fuit contra Paulum Samosatenum tẽpore Dionysij Papæ, circa annum Domini 266. Vide Euseb. lib. 7. hist. c. 23.24.25. & 26.

Quartum fuit Arianorum tempore Iulij I. Pont. de quo hic loquimur. Quintum est Macedonianum, pro sua hæresi anno 347. tempore Liberij Papæ. Hieron. in Chron. Sextum est Catholicum Pro-

uin-

uinciale Episcoporum 30. cuius Canones habentur in to. 1. Conciliorum. Videturfuisse tempore Iouiniani, & Liberij, Vide Sozom.lib.6 c.4. Septimum est insertum Actioni 14. Concilij Chalcedoniensis.

In hoc Concilio constitutæ sunt 25. regulæ, seu Canones, qui propterea quod ab Eusebianis instituti essent, ab antiquioribus reiecti fuerunt Horum nonnulli antiqua fidei dogmata, fideiq. Nicænæ decreta confirmant: nonnulli vero, tanquam orthodoxæ fidei, & bonis moribus ab Ecclesia receptis contrarijs explodūtur. Vide Baron.anno 341. num. 29.32, 34.& 37. *Canones huius Concilij ab Ecclesia reiecti cur.*

De

De Conciliô Sardicensi.

Anno Do. 376.

ANno Domini 376. celebratum est Cõcilium Sardicense Episcoporum Occidentalium 300. Orietãlium verò 76. tempore Constantij Imperatoris, & Iulij Papæ I. Res sic gesta est.

Synodus hæc à Papa indicta.

Iulius Pontifex Romanus cum literis apud Episcopos Orientis de rebus, propter quas scripsisset, nihil proficeret, neque Arianos frequentissime ad Romana Concilia vocatos, ad comparendum inducere posset, hanc vniuersalem Synodum Sardicę celebrandam indixit: à qua ne Arianis Concilia detrectantibus impunè abesse liceret, Episcopos quosdam ad Constan

tem

tem Mediolani agentem ablegauit, qni peterent, vt Imperator literis ad fratrem Constantium ſcriptis impetraret, ne Ariani, quod hactenus fecerant, iudicium Eccleſiæ, & vniuerſalis Concilij ſubterfugerent.

Cardinalis Bellarminus, lib. 1. de Concilijs, cap. 7. ſcribit, hoc Concilium partim confirmatum, partim reprobatum eſſe: quia ex 376. Epiſcopis, Sardicæ congregatis, pars maior fidem Catholicã, & orthodoxam Nicæni Concilij confirmauerit, eaque, quę Nicæna Synodo obſcurius cõſtitutꝛ erant, explicauerit: ex iiſdem verò 76. reliqui Orientales Epiſcopi Arianam fidem ſcripſerint, nouamque formulam à prioribus diuerſam, iterum ediderint: ac promulgarint.

Sardicēſia Concilia, duo fuerunt.

Verius eſt, quod ipſemet

Bellarminus, lib. 2. de Roman. Pont. cap. 21. & 25. & Baronius anno 347. num. 62. tradunt, duo fuisse Sardicensia Concilia, vnum legitimum ex orthodoxis dumtaxat Episcopis congregatum: alterum spurium, & illegitimum ab Arianis Philippopoli celebratum, ementito nomine, Sardicense appellatum. Illud Catholicum vniuersale, totoque orbe iure receptum; hoc autem posterius Arianorum dumtaxat malignantium Conuentum, illegitimum, atque ideo meritò reprobatum esse. De vtroque dicamus aliqua, breuiter tamen.

Cõcil. Sardicẽse Catholicum Oecumenicum fuit.

Concilium Sardicense Catholicum, Oecumenicum fuit tum quia à Iulio Romano Põtifice fuit indictum, tum quia vniuersale, tum quia in eo Legati summi Pontificis interfuerunt, Archidamus scilicet, &

& Philoxenus Presbyteri. Gratianus, can. 11. dist. 16. affirmat, Osium Cordubensem Episcopum in hac, sicut in Nicæna, alijsque quibusdam in Synodis legationis Pōtificiæ munere, & officio functum præsidisse: maior tamen hac in re fides attribuenda est Athanasio, qui prædictos tantum duos Romanæ Ecclesiæ Presbyteros, tanquam Apostolicæ Sedis Legatos commemorat. Osium patronum Synodi egisse, definienda nimirum proposuisse, & singulorum sententias (quod ad officium patroni Synodalis pertinet) rogasse, acta Concilij manifestissimè indicant. Baron. ann. 347. num. 3. 4. 5. 6. & 10.

Legati summi Pontificis.

In hoc Concilio auxilio Imper. Constantini effectum est, vt Eusebiani Ariani conuenirent: qui comparuerunt, at-

Concilij acta.

que vt quærelas suas aduersus Athanasium proponerent, ab Osio, ipsaque Synodo citati fuerunt; sed vt rem iusto iuris ordine agendam viderunt, causæ suæ diffisi, fugam arripuerunt. Ne itaque accusatorum contumax absentia, Reo innocenti grauiùs præiudicaret, continuatum est iudicium: Athanasius iniurias sibi ab Eusebianis illatas exponens, & ad acta Tyria, & Mareotica sese referens, auditus est; Patres Concilij post diligentem actorum omnium inquisitionem, ac demum totius causæ cognitionem Eusebianorum calumnijs, dolis, & fraudibus exactè perspectis, Athanasium iuxta sententiam Iulij Romæ ante prolatam, communi omnium consensu suffragante, absoluerunt: Gregorium verò in Sedem Alexandrinam, ab ijsdem Euse-

Athanasius auditur, et absolutus se di suæ restituitur.

bianis

bianis per vim militarem intrusum nō solum deposuerūt; verum etiam planè execrati sunt, atque omnes ab eo in Sede Alexandrina collatos ordines, aliaque eius gesta prorsus irrita esse constituerunt.

De his, & alijs pluribus in Concilio benè gestis Iulium Romanum Pontif. per literas ad eum scriptas, iuxta consuetudinem ab Ecclesia receptam certiorem reddiderunt. Constantem verò, &Constantinum Impp. non tantum per epistolas Synodales ad eos scriptas rogarunt, vt sacrosanctam Concilij sententiam, Episcopis ab exilio reuocatis, atque in Sedem, pristinamque dignitatem restitutis exequantur; verùm etiam eosdem seriò, & piè admodum monuerunt, ne iudicijs Ecclesiasticis in posterum se immisceant, sed cuncta potius ex Ecclesiasticarū

legum præſcripto agi permittant. Quæ quidem epiſtolæ licet non extent; earum tamen argumentum ex alijs eiuſdem Synodi literis, ſatis eſt manifeſtum. Baron. num. 19. 20. 21.

Canones Sardicenſis Concilij ſub nomine Nicænæ allegãtur, et cur.

Huius Concilij aliquot Canones, cap. 3. Carthaginenſis VI. & cap. 101. Africani Concilij, ſub nomine Nicænæ Synodi citantur, & allegantur, vel quia Sardicenſis Synodus Nicænæ confirmatio, eiuſque tantum quaſi interpres, ideoque cum Nicæna vna, eademque Synodus habita fuerit. Vel quod à Nicæna verè eadem ante quidem conſtituta fuerunt; ſed ab ipſo Nicæno Concilio hi cum multis alijs exciderint. Vel demum quia vtriuſq. Synodi canones Collector nomine, & titulo Sardicenſis, quod ab Arianis valde diffamatum fuerat expun-
ctO,

cto, ita coniunxerit, vt omnes vnius, eiusdemque Nicæni Concilij Canones esse viderentur. Posterior ratio Baronio, & Bellarmino, vbi supra, magis arridet. Concilium hoc receptum, & approbatum est à summo Pontifice Leone IV. vt patet ex can. de libellis, dist. 20. Cur autem à B. Augustino explosum fuerit, dicam infra. Et hæc de Sardicensi Concilio Catholico, & legitimo; nunc de Conciliabulo dicendum. *Conc. huius approbatio.*

Semiariani Sardica per fugam elapsi, vt dictum est supra, ideo quòd in legitimo Sardicensi Concilio iusta iudicij forma constituto, de futura victoria nihil sibi pollicerentur, in vrbe Philippi, quæ est in Thracia, anno Christi 347. vel saltem 348. seorsim conuenerunt, ibique instar canum petram eam, à *De Sardicensi Conciliabulo, & eius actis.*

qua læsi fuerant, frustra mordentium, in Iulium Romanum Pontificem, Osium Cordubensem, Maximum Treuirensem, aliosque orthodoxæ fidei Episcopos, quòd cum Athanasio, Paulo, Marcello, & Asclepa iudicio condemnatis communicassent, anathematis sententiam pronunciarunt, eamque subitò per literas encyclicas ad diuersos Episcopos scriptas promulgatam denunciarunt. Post quatuor fidei regulas Antiocheno Conuenticulo in Encænijs celebrato editas, hoc eodem malignantium congressu, quintam perfidiæ formulam, ementito Sardicensis Concilij nomine insignitam fabricarunt; in qua Arij positionibus quibusdam damnatis, nomen *Consubstantialitatis*, Filij cum Patre omittentes, hoc callidè more suo egerunt, vt instar ludio-

Semiariani quintã fidei formulam fabricant.

num

num in ſcena, ſuo vultui, alia forma, & perſona ſuperinducta Arij hoſtes, & Catholicæ fidei propugnatores viderentur; atque ita vniuerſam Eccleſiam deciperent: eoſdem intus Arium incluſum habuiſſe, monſtrum illud deforme, quod de neganda Spiritus ſancti diuinitate iam conceperant; poſteà verò pepererunt, manifeſtè ſatis oſtendit.

De quibus omnibus Socrates, lib. 2. cap. 16. ſic habet: Epiſcopi Orientales cōfeſtim decedunt: cumque ventum eſſet ad vrbem Philippi, quæ eſt in Thracia, priuatim inter ipſos Concilium conſtituere: de cætero apertè verbum *Conſubſtantiale* anathemate damnare, opinionemq. quod Filius Patri diſſimilis eſſet, per litteras ſcriptas vbiq. diſſeminare cœperunt. Vide etiam Sozom. lib. 3. c. 10.

D. Augustinus quare Sardicēse Concilium Arianum appellet.

Non est ergo mirum, si de Concilio Sardicensi dicat B. Augustinus, lib. 3. contra Cresconium, cap. 34. *Disce quod nescis Sardicense Concilium Arianorum fuit*, &c. Ipse enim loquebatur de Conciliabulo hoc, quod quidem ementito nomine sub titulo Sardicensis Concilij circumferebatur; non autem de Concilio vero, & legitimo Sardicensi, quod quidem ad manus suas non peruenit: nam vt supradictum est, Sardicense Cōcilium in duas diuisum est partes, & quidem vna, quæ erat Occidentalium, trecentorum Episcoporum cum quibus etiam erant Legati Iulij Papæ, pro fide Catholica, & Athanasio restituendo fuit, vt patet ex Hilario, lib. de Synodis, & ex Athanasio in Apolog. 2. Atque hanc partem confirmauit Leo IV. Altera pars

fuit.

fuit Orientalium 70. Episcoporum, qui seorsim conuenientes, fidem Catholicam, & Athanasium damnauerunt. Et de hac loquitur Augustinus, qui etiam non videtur legisse aliud ex Concilio Sardicensi, quàm id quod Orientales miserant ad Africam, vt Donatistas sibi vnirent.

De Concilio Mediolanensi.

ANno 354. vel 355. congregatum fuit Concilium Mediolanense (trecentorum amplius Episcoporum ex Occidente, paucorum ex Oriente, vt est apud Sozomenũ lib. 4. c. 8.) fuit autem expetitum Concilium hoc à Liberio Papa ab Imperatore Constantio, vt cognita ex consta- *Anno 354.*

tis in Athanaſ. calumnijs A-rianorum perfidia tum à ſub-ſcriptione in ipſum, tum à communicatione cum Aria-nis, ac multo magis ab eorum hæreſi, Occidentales omnes procul abhorrerent Epiſcopi: à Conſtantio verò eo conſilio conceſſum, vt collectos in vnum, quos poſſet, Catholicos Epiſcopos, ipſe præſens ad ſubſcribendum in Athanaſiū, adhibita vi, quoque compelle-ret, quod & infeliciſſimè præ-ſtitit. Conuenerunt ferè Ca-tholici Epiſcopi, omnia, quæ Ariani poſtularent eſſe factu-ros, & in Athanaſium ſubſcri-pturos, modò illi Nicænæ fi-dei ſubſcripſiſſent, quod di-ſertè negarunt; qua re in po-pulum vulgata, magna indi-gnatio orta eſt. Cuius populi iudicium, & impetum timen-tes Ariani, è Dominico in Pa-latium Concilium transferūt, vbi

Populi tumultus de Athanaſii damnatione

vbi omnia pro libidine agunt, Constantio ad omnes eorum nutus consentiente, & cooperante, Accusatorem, & Iudicem in Athanasium agente, & edicto publico eum condemnante. Ibi igitur adacti omnes ad subscribendum in Athanasium interminatione exilij, qui subscribere recusarunt. Legati Sedis Apostolicæ Lucifer Calaritanus in Palestinam relegatur (qui miræ constantiæ, & præparati animi ad martyrium contra Constantium Imperatorem scriptum librum ad eum misit legendum) Pancratius Presbyter in exilium agitur, Hilarius Diaconus nudatus cæditur, & in exilium eijcitur. Dionysius item Mediolanensis Episcopus, & Eusebius Vercellensis recusantes subscribere in Athanasium, ne cum damnatione Athanasii, fidem quoq. Nicænam damnare

In Concilio Mediolanensi Episcopi adiguntur ad subscribendum in Athan. recusantes exulare iubentur.

re viderentur, relegati. Hæc de Actis in Concilio Mediolanensi breuiter ex Athanasio, epist. ad Solit. & Hilario ad Constantium.

Liberius Papa Episcopus in exilium actos per epistolam consolatur

His auditis Liberius Pontifex epistolam encyclicam ad Episcopos exules misit, qua gloriam eorum laudans, conqueritur, se cum ipsis esse non posse. Cogitantes autem Ariani se breui omnes superaturos, si in suam sententiam Liberium Romæ Episcopum pertrahere possent, Constantium Imperatorem ad eum alliciendum, & trahendum impellunt. Sed Constantius nihil ab eo impetrat, infracto animo, & ingenti cum libertate pro fide, & pietate, Liberio procurante, & exilium potius eligente, iussus est deportari vsq. Beroeam Thraciæ. Constantius mittit illi in sumptus quingentos aureos: totidem

Liberius Papa infracto animo ipsi Cōstantio resistit vnde in exilium mittitur.

dem

dem Eusebia Imperatrix, quos omnes remisit cum illis verbis: *Tu Ecclesias Orbis terræ expilasti, & iam mihi, vt damnato, vt egenti offers eleemosynam? Abi primum, & Christianus ipse fias.*

Oblatam à Constantio pecuniam refutat Liberius.

In locum relegati Pontificis Fœlicem Diaconum Liberij Catholicum Schismaticũ Pontificem Ariani suffecerunt. Cuius communionem, licet fidem Nicænam integrè seruaret, vniuersus populus Catholicus cum Clero Romano vsque ad lapsum Liberij vitauit: vt potè quod Schismaticus esset, ab Arianis intrusus, eorumq. communione pollutus. De qua re plura in sequenti Sirmiensi Concilio, & in nostro Breuiario Chronologico.

In locum Liberij Põtifex sufficitur ab Arianis, et fit schisma.

De Concilio Sirmiensi.

Anno 357

ANno 357. celebratum fuit Conciliũ Sirmiense sub Constantio Imp. dum Sirmij ageret ea occasione ab Arianis coactum, quod Catholicum nomen affectantes, id se posse consequi putaruut, si Hæreticos de filio Dei humiliter, & abiectè nimis sentientes impugnarent. Ea propter, vt scribit Gregorius Nazianzenus in laudem Athanasij Photinum, & sequaces per simulationem, & veteratoriè dumtaxat condemnarunt; editaq. aduersus eum fidei quadam formula à Marco Arethusio Grecè composita, Photini hæresim condemnarunt.

Arianorũ fraus vt se Catholicos ostenderent.

Acta Concilij.

Huic

Huic primæ formulæ 27. anathematiſmos contra Photianos, & Arianos inſeruerunt, vt Catholici viderentur. *Formula fidei in hoc Concilio tradita ab Hilario explicatur*

Hanc Catholicæ veritati conſentientem, ideoque ab Hilario explicatam fuiſſe, ipſe Hilarius aperte teſtatur: quæ ſi nomine *Conſubſtantialitatis* non caruiſſet, nullo modo culpari potuiſſet.

Liberius Romanus Pontifex Athanaſio, Hilario, & Hieronymo atteſtantibus per vim, & minas ſollicitatus huic primæ fidei formulæ ſubſcripſit: Athanaſium condemnauit, & cum Arianis communicauit, idq. per litteras ad Valentem, aliosue ſcriptas ſignificans ab exilio liberari, Sediq. ſuæ reſtitui petijt. Itaque contra fidei confeſſionem ac iuſtitiæ legem peccans, adeoq. turpiſſimam ſibi morum *Liberius Papa lapſus miſerabilis.*

rum

rum, ac vitæ maculam inurens, Arianorum communione pollutus, quamquam ipse infidelis, & hæreticus non esset, a communione tamen Catholicorum excidit. Ex quo factum est, vt Fœlix Diaconus in Papam, eius loco subrogatus sit. Quod quomodo acciderit, quoue iure factum fuerit, breuiter est hic recensendum.

Liberij, & Felicis Papæ breuis historia.

Sciendum igitur, quod Liberio in exilium ob causam fidei deportato, Romanus Clerus iurauit, se nullum alium, viuo Liberio in Pontificem admissurum. Opera deinde Arianorum, ac præsertim Acacij Cæsariensis Episcopi, Fœlix Diaconus, Romanus Episcopus creatur in locum Liberij. Qui propter hoc beneficium liberè cum eis communicabat, licet ipse Arianus non esset.

let. Et quamuis Fœlix Arianus fuisset, nihil id Apostolicæ Sedi obesset; constat enim eo tempore Fœlicem Schismaticum Papam, non verum, & legitimũ fuisse, cũ duo legitimi Pontifices simul esse non possint. Viuebat autem tunc vt verus Pontifex Liberius quo circa nemo Catholicorum Romę cum Fœlice, eo tempore communicare volebat.

Duo legitimi Pontifices simu esse non possunt.

Biénio post deinde successit Liberij lapsus; de quo pauló ante dictũ est: & tunc Roman. Clerus abrogata Liberio Põtificia dignitate, ad Fœlicem se contulit, quem Catholicum esse sciebat. Et ex eo tempore cœpit Fœlix verus esse Papa. Et licet Liberius hæreticus tunc non esset, habebatur tamẽ talis à Clero Romano propter pacem cũ hæreticis

Liberius licet non esset hæreticus pro tali tamen habebatur

cis factã. Et ex ea præsumptione meritò potuit ei Pontificatus abrogari: non enim homines tenentur, aut possunt corda scrutari; sed quem externis operibus hæreticum esse vident, simpliciter hæreticum iudicant, ac vt hæreticum damnant. Et hoc est quod S. Hyeronimus in Chronico ait, permultos ex Romano Clero peierasse, quia iuramentum non seruarunt, quod de non recipiendo alio Pontifice fecerunt.

Felix in Concilio Constantium Imp. & Episcopos Vrsacium, & Valentem tanquam hæreticos damnat.

Porrò Fœlix iã verus Papa animaduertens periculum Ecclesiæ, & fidei, Deo sine dubio inspirante, qui Ecclesiam suã non deserit, non solum à communione Arianorum recessit, verùm & coacto Concilio, declarauit, Imperatorem Constantium, & Episcopos Vrsacium, & Valentem, cum quibus Liberius pacem fecerat,

verè

verè esse hæreticos, Et propterea redeunte Liberio in Vrbē, Fœlix cum suis ab Arianis eiectus est, & non diu post mortuus, siue capite cæsus, siue ærumnis cōfectus fuerit. Id enim non certò constat. Huius autem S. Fœlicis corpus anno 1582. inuenta est arca marmorea in Basilica Sanctorum Cosmæ & Damiani cum hac inscriptione, in marmore incisa, characteribus antiquis.

Fœlix Papa Martyr.

Felicis corpus in capsa marmorea inuenitur anno 1582.

Hic iacet corpus Sancti Fœlicis Papæ, & Mart. qui Constantium hæreticum damnauit.

Iam vero mortuo Fœlice, Liberius iterum sibi reconciliauit Romanum Clerum, & Catholicum Præsulem se præstitit. Quocirca, omnium consensu iterum legitimè sedere

cœpit, ac sedit vsque ad mortem. Atque hæc est causa, cur in Cathalogo Pontificum aliqui veterum, non posuerunt Fœlicem: quia videlicet, totum Fœlicis tempus in Liberij Pontificatu positum fuit. Sed ad Concilij breuem historiam redeamus.

Semiariani secundam fidei formulam ediderunt, qua Dei filium non Deum, sed creaturam confessi sunt.

His peractis, Semiariani hi qualisnam essent, larua deposita, palam prodidere. Nam vt Dei filius non Deus, ex Deo sed creatura ex nihilo, vel saltem ex creatura genitus esse credatur, secundã fidei formulam; & confessionem Latino sermone conscriptum à Marco Arethusio Episcopo Græcè translatam ediderunt, qua nomen *Substantiæ*, prorsus abdicarunt, decernentes ne voces *Substantiæ*, & *Omousion*, quarum nulla mentio fit in scriptura, in sermonibus vsurparentur.

Vtque

Vtque impietati à se conscriptæ auctoritatem adderent, Athanasio, Socrate, & Sozom. attestãtibus, Osiũ Corduben. Episcopum Sirmij loco exilij ab Imperatore detentum; ad subscribendum sollicitarunt: qui dum aliquandiù id facere recusasset, vir imbecillis, prope centenarius senio confractus, tandem per vim, tormenta, & plagas inductus (proh scelus) ignominiosè subscripsit, luctuq. & horrore immenso fidelibus incusso.

Osium Cordubensem tali formulæ subscribere compulerunt.

Huius tanti viri lapsus fuit supra omnium casus miserandus, siue Origenis, siue Tertulliani, siue quorumuis aliorum: cùm is per tot annos tantisque publicis actionibus in Oriente, & Occidente spectatus fuisset tot summis legationibus perfunctus, tot Conciliorum magna ex parte Auctor extitisset, Elibertini, Arela-

Osii lapsus omniumè maximi miserandus.

relatenſis, Neoceſarienſis, Alexandrini, & duorum magnorum, atque Oecumenicorum Nicæni, & Sardicenſis, & aliorum, quorum memoria excidit: quem in ſuo Chriſtianæ fidei tyrocinio Conſtantinus Imperator adhærentem ſuo lateri habere voluiſſet monitorem, quem parentem dixiſſet, & affectu filiali coluiſſet, cùm ipſum Oſium, quem, & Ariani Synodorum Principem dicerent, & Nicæni Symboli formulam concepiſſe omnes ſcirent; hunc, inquam, in Conciliabulo Sirmienſi ignominiosè proſtratum, turpiſſimè factum eſſe eiuſdem Nicænæ fidei proditorem, miſerando, nec alias audito exemplo. Qui tamen paulò poſt de vi, & iniuria ſibi illata proteſtatus, Arianorum hæreſi condemnata, eorumque communione fideli-

Oſius reſipiſcit, pœnitentiāq. agit.

bus

bus interdicta pœnitentiam egit, atq. ita Dei vindicis irã anteuertit. Tantum, inquit Athanasius ad Solitar. vim intulit seni, quem Sirmij pro exilio detinebat, & ita eum arctè tenuit, vt afflictus, attritusque malis, tandem egrè cum Vrsacio, & Valente communicaret; sed tamen, vt contra Athanasium non subscriberet. Verùm ne ita quidem eam rem pro leui habuit: moriturus enim (post biennium circiter, aut annum) quasi in testamento suo eorum vim testatus est, & hæresim Arianam condemnauit, vetuitque eam à quocumque probari, & recipi.

Osius moribundus Arianam hęresim detestatur.

De auctoritate verò huius Concilij Bellarm. lib. 1. de Conciliis, cap. 7. Oecumenicum fuisse, ait sed ex parte reprobatum, quia sententiam condemnatoriam in Photinum

Concilij auctoritas quanta.

D hic

hic pronunciatam, omnes orthodoxi approbarunt. Ego tamen Baronium sequutus, Conciliabulum potius, quàm vlla ex parte probatum Concilium fuisse, verius esse putarim; tum quod manifestum, in prima fidei formula, quæ Catholica esse indicatur, nomen *Consubstantialis* ad fidē Nicænam explodendam omissum esse, eamque veteratoriè, & per summam simulationem editā fuisse: tum etiam quod Liberij communionem Catholici vitarint; ideò maximè, quod fidei confessioni primę, quę videbatur Catholica, subscribens, Ariana communione pollutus, ab vnitate Ecclesiæ meritò exciderit.

De Concilio Arimi-nensi.

ANno 359. congregatum fuit Concilium Ariminense. Sed maximoperè aduertendum, duo Concilia Ariminensis Synodi nomine insignita reperiri; vnum legitimum, & germanum, Arimini verè habitum, in quo Ariana confessione Sirmij edita, omnium Patrum consensu explosa, Nicæna fides stabilita fuit: quoue Ariani cum Vrsacio, & Valente, socijsq; eorum præsentibus, communi Patrum sententia condemnati fuere. Alterum spuriũ, & illegitimum post multos menses etiam Arimini habitum; vel vt verius alij, alibi, quam Arimini habitum, sed hoc

Anno 359.

Ariminẽsia duo Cõcilia fuerunt: legitimum vnum alterum spurium.

nomine appellatum.

Prius Catholicum est, & summa laude dignum: posterius verò Arianorum Conciliabulum fuit, in quo, vt Hieronymus in Chronico affirmat, sublatum est de Symbolo nomen *Homousios*: meritoque à Bellarmino inter reprobata eiectum. Sicut igitur ad obscurandam gloriam, & auctoritatem duorum vniuersalium Conciliorum Catholicorum, Nicæni, & Sardicēsis, Ariani alibi eiusdē nominis Synodos coëgerunt: ita ad abolendam hanc priorē ritè, verèque peractam Ariminēsem Synodum Catholicam, & orthodoxam, aliam alibi celebrarunt, quam, priore abrogata, Ariminensem nominarunt, & summis laudibus extulerunt. Vnde sicut Sardicense ab Augustino, alijsue doctis viris planè reiectum fuit

Bellarminus quare Conciliū Ariminense inter reprobata enumerauerit.

fuit, quod ignorarent, duplicis generis Sardicensia reperiri, ita etiam fortasse accidit, vt Bellarm. lib. 1. cap. 6. nulla facta distinctione Ariminensis Concilij legitimi ab illegitimo, illud inter reprobata enumerarit. Hæc ex Athanasio lib. de Synodis, & Ambros. epist. 32. Baronius anno 359. num. 49. 50. & 51.

Episcoporum numerus, qui ad Ariminense Concilium venerunt.

In hoc Concilio conuenerunt quadringenti Episcopi, quibus omnibus annonas, & cellaria dari Imperator præceperat: sed repudiatis fiscalibus, proprijs sumptibus viuere maluerunt. Ex his, iuxta Athanasium, lib. de Synodis 50. iuxta Seuerum, 80. tantum Ariani; reliqui omnes Catholicæ fidei defensores fuerunt.

Petitio Arianorum Episcoporum.

Petierunt Ariani, vt antiquatis fidei formulis omnibus alijs anterioribus, Sirmiana

fidei confeſſio tertia, Sirmij edita, & à Conſtantio approbata, & per Valentem hic recitata, retineretur, idq. propterea in primis, quod in ea Filius Patri per omnia ſimilis eſſe diceretur. Verùm cùm eadem nomina *Subſtantiæ*, & *Conſubſtantialitatis*, dolosè ſuppreſſiſſent, vt ſcilicet, his vocibus abdicatis, Nicænam fidem auerterent, & ad Arianam blaſphemiam aditū patefacerent, fraude, & improbitate cognita, Patres Orthodoxi, nihil de Orientalibus, ſicut per literas Imperator petiuerat, ſtatuentes, Arianam hæreſim cum ſuis Sectatoribus damnarunt: atque reiectis alijs fidei formulis vnicum dumtaxat Nicænum fidei Symbolum comprobarunt.

Reiicitur Arianorū petitio, & reiectis cæteris fidei formulis Symbolū Nicænam comprobatur.

Hoc grauiter tulit Imperator, vnde Legatos Catholicos

Imperator res geſtas grauiter tulit, & Legatos ad ſe miſſos, cum etiam Epiſcopis neglexit.

cos ad se missos contempsit, eosque longa mora fatigatos neglexit, iubens eos Adrianopoli, Episcopos cæteros Arimini per hyemem expectare, donec ab expeditione, quam contra barbaros parabat reuerteretur.

Interea Ariani Episcopi, qui Nicææ Thraciæ iussu Imperatoris nouam fidei formulam ex eiusdem Constantij sententia, sub Nicæno nomine vulgatam ediderunt, & ad perfidiam hanc, subscriptione sua approbandam, non tantum Legatos Adrianopoli, & Episcopos omnes Arimini detentos; verùm etiam præter Liberium Pontificem, Seruatium Tungrensem, aliosque decem & octo Episcopos fortiter resistentes, omnes penè totius Orbis Antistites metu exilij, & tormentorum per vim induxerunt: adeo quod,

Fidei nouā formulam Ariani Episcopi componunt, & ad eā subscribēdam tum legati Adrianopolitum Episcopi Arimini detenti per vim inducti sūt

auctore Hieronymo Dial.cōt. Luciferian. *totus penè Orbis Arianum se esse miratus, tunc verè ingemuerit.*

Conciliabulum Arimini quando celebratum & quid in eo gestū est.

Hæc Arimini post legitimā Synodum, multis ante mensibus absolutam contigerunt, in illo Arianorum Conuentu, quo nomine *Consubstantialitatis* abdicato, Christus ex praua Arianorum consequentia, creatura asserebatur: quo Liberius recusans subscribere, per Valentem relegatus est: quo denique Gaudentius Ariminensis Episcopus per milites, fustibus, & lapidibus appetitus, glorioso martyrio occubuit.

Hunc Conuentum illi verā Ariminensem Synodum nominarunt, summisque preconijs extulerunt, vt eiusdem nominis Concilium Orthodoxum, & legitimum, vel abolerent: vel saltem (quod etiam tempore

pore Sardicensis Concilij fecerant) eius gloriam obscurarunt. Vide Baronium, anno 359. num. 27. 32. & seqq.

De Concilio Constantinopolitano I.

ANno 381. celebratum fuit Conciliũ Generale, & Oecumenicum Constantinopolitanum I. Conuenerunt eò 150. Patres auctoritate Damasi Papę, & fauente Theodosio Imperatore Seniore, vt apparet ex Synodica eiusdem Concilij ad Damasum, & reliquos Occidentales Episcopos Romę congregatos: Et ex peruetusto Codice, qui in Vaticano, alijsue, qui in quibusdam Bibliothecis extant, in quibus hæc scripta leguntur. *Sententiam*

Anno 381.

de damnatione Macedonij, & Eunomij Damasus confirmari praecepit, etiam in sancta Secunda Synodo, quae praecepto, & auctoritate eius apud Constantinopolim celebrata est. Vide Baronium.

Macedonianis quare Semiariani appellentur. Quia verò Synodus haec celebrata est contra Macedonium, eiusque asseclas, qui Spiritum sanctum creaturam esse non Deum asserebant, meritò canon primus eos Semiarianos vocat. Nam cùm Ariani Filium quoq; cum sancto Spiritu inter creatas res numerarent, ac diuersam à Patris substantia naturam vtrique tribuerent, Macedoniani, de Filio nihil opinati secus, sanctũ Spiritum in ordinem creati operis redigere, ac tota Diuinitate eximere nitebantur.

Semiarianorum genus alterũ. Fuit & aliud Semiarianorum genus, qui cum vtramque Filij, Spiritusque sancti perso-

nam

nam inter creatas res non ſicut Arius, & cæteri, ſed alia quadam, minus ab ipſis explicata ratione conſtituerent, eo tãtum, ne in Patre, propterea, quod genuiſſet, mutationis aliud, admittere cogerentur, eaſdem Verbi, ac ſancti Spiritus perſonas, non Patri conſubſtantiales, ſed tantum ſubſtantiæ ſimiles eſſe aſſerebãt. Quæ igitur ad orthodoxam fidem ſpectantia in Nicæna Synodo promulgata ſunt, ea primò rata, firmeque haberi: deinde omnes hęreticorum errores anathemati ſubiectos eſſe, Synodus hęc ſacroſancta decernit.

Ex omnibus notantur Eunomiani primò nominatim: ab Eunomio Cyzici Epiſcopo ſic nuncupati, qui iiſdem cum Arrio, quin & pluribus, & grauioribus multò erroribus tenebatur, Filium quip- *Eunomiani quare ſic dicti.*

pe mutabilem, ſeruum & rebus omnibus Patri diſſimilem conſtituebat, quiquè animum ad ipſius opiniones appulliſſent, eos, elatis in ſublime pedibus, capite in aquam demiſſo, demerſione vna, contentus, rebaptizabat. Futura ſupplicia, gehennæq. cruciatum, nihil aliud, quam fabulas ad errorem hominum excogitatas eſſe nugabatur.

Eudoxiani quare ſic dicti.

Eudoxiani quoque ab Eudoxio, qui eadem opinionum prauitate infectus, Conſtantinopoli cùm eſſet Epiſcopus, Eunomium Antiſtitem Cyzicenæ vrbi præfecerat, appellati. Ijdem, propterea quod Filio, ac Spiritui Sancto, ſpectata ſubſtantiæ ratione, nihil cum Patre ſimile intercedere vellent, Diſſimiles nuncupati.

Sabelliani à Sabellio ſic nuncupati.

Notati etiam ſunt hic Sabelliani, qui à Sabellio, quedam

dam Lybico, nomen accepere. Is Ptolemaidis, quæ vrbs in Pentapoli fuit Episcopus, concretione quadam, coalitio neq. excogitata, tres hypostases, in vnam substantiam, diuinitatemq. miscebat, ac vnam in Trinitate, tribus, licet, varia nominibus, personã agnoscebat. Cùm vnum idemq. Numen, nunc Patris specie, nunc Filij, nunc Sancti Spiritus, idẽ alio alias habitu mutatum, sese mortalibus videndum exhibuisse contenderet.

Sabellius distinctionem inter personas diuinas tollebat.

Inde Marcellianorum, cui nomen Marcellius hæresiarcha dedit, hæresis quoq. dam nata. Hic ex Ancyra Galatiæ vrbe transmissus, eiusdem postea vrbis Episcopus, & quidẽ Sabelliana peste infectus fuit.

Hunc tamen excusat Ath. apol. 2. & Epiphan. hær. 71.

Eodem Photiniani quoque (nomen ijs à Photino auctore) decreto iugulati. Porrò Photinus ortus è Syrmio, more

De hoc Epiph. hær. 71.

re in eadem vrbe Episcopatus honore perfunctus est. Sed
Pauli Samosateni errores.
ijsdem cum Samosateno Paulo erroribus deprauatus, neque personarum in eadem hypostasi multiplicitatem admittebat, solumq. pro Deo, rerum omnium conditore ac parente, spiritum agnoscebat: Verbum quiddam esse prolatum extrinsecus, videlicet ipsum diuinæ mentis imperium, ipsi Deo ad rerum molitionem, fabrilium instrumentorum more deseruiens, opinabatur. In Christo nihil, præter hominem agnoscebat. Illi, Dei Verbum, non essentiale quidem, sed illud profectitium tantummodo insedisse: neque Christum aliud sui initium, quàm à Maria parente habuisse, asseuerabat, Nam, & hoc, & alia plura, conuitij plena, ac petulantiæ, Samosatenus ille Paulus effutiebat

quem

quem depositione Synodus, Antiochena mulctauit. Suffecto Domno auctoritate Dionysii Papæ. Euseb. lib. 7. c. 23. & 24.

Eadem postremò, quæ in cęteros, in Apollinaristas quoq. anathematis pœna constituta. Fuit Apollinaris, Loadicenæ, eius, quæ in Syria est, vrbis Episcopus; qui de sacro diuinæ Incarnationis mysterio praue omnino, peruerseq. loquebatur. Si quidem filium Dei, corpus quidem anima informatum ex Deiparę visceribus sibi adiunxisse fatebatur; verùm, mentis, & rationis expertem, quasi mentis locum Diuinitas expleret: & Christi Domini animam esse opinabatur. Ac proinde, & ab hominis perfectione Christum abesse, & vnam in Saluatore naturam constare prædicabat. Vide in nostra Summa Concilio-

rum

rum Sanctorum Apostolorum canonem quartum, & quadragesimum quintum: & Antiochenæ Synodi tertium decimum, & vigesimum secundum. Omnes ergo hi Hæretici, eorumq. hæreses in primo Canone huius Synodi damnantur.

Acta Synodi Constãtinop. quo ordine contigerunt.

Acta verò Synodi, hoc ordine contigerunt. Primò declaratum est, Maximum, ab Episcopis Aegyptijs Constantinopolitanæ Ecclesiæ Episcopum ordinatum, Episcopalibus muneribus hactenus functum, neque fuisse, neque esse Episcopum. De hoc sciendũ, quod ipse fuit Aegyptius, Cynicerum sectam professus. Is, cum se ad Gregorium Theologum contulisset, imbutus ab eo fidei mysterij, ac postea baptizatus, demum etiam Clero adscriptus, sãcto viro adeò familiaris fuit, vt ad mensę

quo-

quoque communionem ab eodem admitteretur. Postea, cum Patriarchalem Constantinopolitanæ sedis dignitatem concupijsset, pecuniæ summam mittit Alexandriam sibiq. inde subornat Episcopos, quorum opera, suffragante etiam sibi ex Theologis intimis quodam, in optatæ Sedis fastigio collocaretur. Qui quidem cùm in Ecclesia iam constitissent, nondum perfecta re deprehensi, atq; à pijs hominibus eiecti, non propterea qui euehunt; sed choraulæ domum ingressi, Maximum, quãuis irrito postea successu Patriarcham decernunt. Hunc ergo hominem huius Synodi Patres notauere, nec Episcopum esse aut fuisse, quippe contra leges dictum, nec vel quibus ordines contulisset, in clericorum numero habendos esse definiunt.

Naz. Sordidam vocat.

Eun-

Eundem de Apollinaris hæresi conuictum, ideoque Ecclesiastico Canone priuatum asserit Theodoretus. Eiecto ab Ecclesia Maximo, ante perperàm intrúso, fideliumq. cœtu interdicto, communi Patrum calculo, probata, & confirmata est electio Gregorij Nazianzeni: atq; ita Constantinopolitanę Ecclesię schisma hoc sublatum fuit.

Definitio pro Spiritus Sancti diuinitate, & æqualitate cum Patre, & filio.

Deinceps, de fide acturis Patribus, volumen Occidentalium continens professionem illam fidei, quam Damasus ex Concilio Romano ad Paulum Episcopum Antiochenum misit, exhibitum fuit. Quo perlecto, vnanimi consensu, paribusq. votis contra Macedoniũ definierunt, Spiritum Sanctũ non seruum, sed Dominum esse, viuificatorem omnium; ex Patre, & Filio coadorandum, & conglorificandum.

Ad

Ad alias vero hæreſes Eunomianorum, Arianorum, & Semiarianorum condemnandas, Nicænum fidei orthodoxæ ſymbolum omnes ſine cunctatione receperunt. Sed cùm in eo parcius de diuinitate Spiritus Sancti actum eſſet, eo quod nulla tunc hæreſis ei aduerſaria emerſiſſet, placuit S Synodo de Spiritus Sancti diuinitate (vt olim de Filio in Nicæno Conc. factum fuerat) aliqua addere, quibus aduerſus oēs hæreticos eiuſdē Spiritus Sancti vna, eademque cum Patre, & filio diuina ſubſtantia prædicaretur, idemq. Dominus diceretur, quem ſeruum eſſe impij hæretici blaſphemabant. Sic autem fidem profeſſi ſunt in can. 7. huius Conc.

Spiritum Sanctum ſeruum eſſe impie aſſerebant hęretici.

Credimus in vnum Deum Patrem omnipotentem, factorem cæli, & terræ, viſibilium &

Symbolũ fidei in Conc. recitatum.

& inuisibilium, Et in vnum Dominum Iesum Christum, filium Dei vnigenitum, ex Patre natum ante omnia sæcula Deum de Deo, lumen de lumine: Deum verum, ex Deo vero, natum, non factum, Omousion Patri, hoc est, eiusdem cum Patre substantiæ, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit, & incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, humanatus est, & Crucifixus pro nobis, sub Pontio Pilató, & sepultus, & tertia die resurrexit. Ascendit in cælos, & sedet ad dexteram Patris: & iterum venturus est cum gloria iudicare viuos, & mortuos, cuius regni non erit finis. Et in spiritum sanctum Dominum, & viuificantem, ex Patre procedentem, cum Patre, & filio coadorandum

&

& conglorificandum, qui locutus est per Prophetas. Et in vnã Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam. Confitemur vnum baptisma in remissionem peccatorum; & expectamus resurrectionem mortuorum. Et vitam futuri saeculi, Amen.

Hoc Symbolum recitatum est coram Patribus huius Concilii, Chalcedonensis Act. 2. auditoq. eo, omnes Patres exclamauerunt. *Hæc omnium fides, hæc Orthodoxorum fides Omnes sic credimus.* Hoc etiam Symbolum recitatum est coram Patribus Concilii Generalis V. collat. VI. & coram Patribus Concilii Generalis VI. Act. 17. Illud quoq. de verbo ad verbum Concilium Toletanum VIII. repetit cap. 1. statim initio, præmittens illud rebus omnibus definiendis. Quod & fecit Concilium

Symbolũ hoc à Pluribus Conciliis probatur.

lium

lium Bracarense III. statim in limine. Deniq; Eugenius IV. hoc Symbolum Constantinopolitanum in Concilio Florentino Græcis, & Armenis dedit, vt ex decreto eiusdem liquet, ad calcem Concilij addito, cum illa aditione, *Ex Patre filioq.* declarandæ veritatis gratia, & vrgente necessitate licitè, & rationabiliter apposita.

Symbolū hoc libellus fidei vocatur.

Hunc libellum fidei, vt ipsi Patres appellant, epist. ad Damasum, & Roman. Concilium apud Theodor. lib. 3. cap. 9. siue dixerimus symbolum, humana deliberatione Sanctorū Patrum examinatum, atque decretum, tradit Niceph. lib. 12. cap. 13. scriptum fuisse à Gregorio Nysseno Episcopo, quod recitatur in Concilio Chalcedonensi hoc titulo, *Sāncta fides, quam exposuerunt 150. Patres, consona est sancta*

Symb. Constantinop. à S. Greg. Nysseno scriptum.

&

& magna Nicæna Synodo Credo, &c.

Et cum Patres huius Concilij Constantinopolitani cap 2. dicant, conseruandum esse Nicænum Symbolum, cùm postea cap. 7. dictam fidei professionem emittunt, insinuarunt non nouum in substantia Symbolum edere. sed Nicęnum explicatius tradere. Ex quo factum putatur, vt in seqq. Concilijs, fidei professionem, prout habetur in Concilio Constantinopolitano registrata, vocarunt Nicænam filiem, vt patet in Concilio Ephesino, & Chalcedonensi.

Symb. Cõstantinop. idest est, quod Symbolum Nicænum.

Eidem Symbolo decursu temporis additum est dogma speciale, exprimens processionem Spiritus Sancti etiam de Filio; & apponendam decreuerunt Patres vocem illam, *Filioque*, quod quando factũ sit, non constant. Manifestum

Symb. Cõstant quã do fuerit particula illa. filioque.

est autem ante VI. Synodum generalem additam esse; non surreptione, vt Græci mentiuntur, sed auctoritate Romanæ Ecclesiæ in quodam Occidentali Concilio, vt dicit S. Thomas 1.p.q. 36. art. 2. ad 2. Vel ab eadem Ecclesia Romana id factum putatur, vt placet S. Bonauenturæ in 1. Sen.d. 11. art, 1. q. 1. & in 1. p. q. 36. art. 2. Ad ipsam.n. spectat dogmatizare, declarare, & addere omnia, quæ necessaria sunt pro instructione suorum fidelium. Eò magis, quia, vt dicit idem Seraphicus Doctor, hoc non fuit, Symbolum corrumpere, sed perficere; vnde nec excommunicationis sententiam à Concilio latam incurrit, quæ non contra perficientes, sed contra corrumpentes data est. Vel dicendum cum S. Anselmo vt idem S. Bon. quod Ecclesia

S. Bon. responsio ad Græcos pro illo additamento, Filioq.

Ro-

Romana potuit etiam nouum Symbolum edere, cùm plenitudinem potestatis à Petro Apostolorum Principe acceperit, & Caput, Magistraq. omnium Ecclesiarum sit: vnde tanquam suprema potuit absq. eo, quòd Græcos vocaret; asserere, statuere, & decernere, Spiritum Sanctum procedere etiam à Filio. Nam postquã orta fuit hæresis, quæ Spiritum Sanctum à solo Patre procedere asserebat; debuit Romana Ecclesia remedium per explicationem adhibere, vt errandi occasiones tolleret. Vnde licèt ante determinationem, satis fuerit credere, Spiritum Sanctum à Patre procedere; orta tamen quæstione, multisq; errantibus, necesse fuit remedium adhibere. Quod etiam Concilium Florentinum definiuit his verbis: *Definimus*

Ecclesia Romana potest etiã nouum Symbolũ edere, cũ ad hoc potestatis plenitudinẽ habeat.

explicationem illorum verborum (Filioq.) veritatis declarandæ gratia, & immi-nente tunc necessitate, licitè et rationabiliter Symbolo fuisse appositam. Sic autem ab Ecclesia Romana præfatum Symbolum proponitur, in Concilio Tridentino, sess. 3.

Symbol. quod ab Ecclesia Romana proponitur.

Credo in vnum Deum Patrem omnipotentem, factorem cæli, & terræ, visibilium omnium, & inuisibilium. Et in vnum Dominum Iesum Christum, filium Dei vnigenitũ, Et ex Patre natum ante omnia sæcula. Deum de Deo, lumen de lumine: Deum verum, de Deo vero. Genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cælis. Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, & ho-

mo

mo factus est, Crucifixus etiã pro nobis, sub Pontio Pilato, passus, & sepultus est. Et resurrexit tertia die secundùm Scripturas. Et ascendit in cælum, sedet ad dexteram Patris: & iterum venturus est cum gloria iudicare viuos, & mortuos, cuius regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum Dominum, & viuificantem, qui ex Patre, Filioq; procedit Qui cùm Patre, & Filio simul adoratur, & conglorificatur: qui locutus est per Prophetas. Et vnam sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam. Confiteor vnum baptisma in remissionem peccatorum; Et expecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi sæculi. Amen.

Hoc Symbolum vocat Sancta Tridentina Synodus, Scutum fidei, ac fundamentum firmum, & vnicum, contra quod *Symbolũ hoc est scutum fidei.*

portæ inferi numquam præua lebunt.

Additamentum illud, filioque, cur Ecclesia Romana diu non receperit.

Est tamen hic magnopere animaduertendum, quòd Romana Ecclesia antiquitatis tenacissima, antequam additamentum illud, *Filioq;* in Symbolum referret, diutissime cunctata fuit. Scribit.n. Magister in primo Sententiarum dist. 11. Leonem III. à Carolo Magno rogatum, vt verba prædicta ad Symbolum adderentur: & non modò id facere recusasse, verùm etiam illud ipsum absq; eo additamēto in argentea tabula exaratum, in altari post corpus B. Petri perpetuò custodiri voluisse, ne quibuslibet liberum esset, aliquid ad Sanctum Symbolum superaddere. Postquam verò Hispani, Franci, & alii omnes Boreales populi, offendebātur, & periculum schismatis oriebatur, quòd Romana Ecclesia

eam

eam doctrinam publicè confiteri nollet quam ad probandos Catholicos, & confituendos Hereticos, Magnus Leo ante tot sæcula Hispaniarum Episcopis tradidisset. Placuit tandem Benedicto VII. huius nominis Romano Pontifici, vt idem Symbolum cum hoc eodem additamento Romana in Ecclesia caneretur: idque ad petitionem Henrici Imperatoris. Cùm enim Romanorum Presbyteri a b Henrico Imperatore interrogarentur, cur non post Euangelium (vt in alijs Ecclesijs fiebat) Symbolum canerent; responsum dedere, quod Romana Ecclesia non fuisset aliquando vlla hæreseos fece infecta: sed iuxta S. Petri doctrinam in soliditate Catholicæ fidei permaneret inconcussa. & ideo magis his necessarium esse illud Symbolum sæpius can-

Romani Præsbyteri cur post Euangelium, Credo, non cecinerint.

tando frequentare, qui aliquando vlla hæresi labe potuerunt maculari. At Imperator Domino Benedicto Papæ persuasit, vt ad publicam Missam illud decantaretur. Baron. anno 447. nu. 22. &c.

Symbolũ hoc in Occidentali Ecclesia à Damaso Papa non est inuectum.

Grauiter itaque aberrant, qui putant, ex Damasi Papæ decreto profectum, vt hoc Symbolum in Occidente intra missarum solemnia decantaretur. Nam auctoritate Ruffini in expositione Symboli, qui his temporibus scribebat, liquet, nullum aliud Romanam Ecclesiam in sacris ritibus nouisse, quàm Symbolum Apostolicum. Tantum abest, vt id Damaso tribui possit, vt Toletanum III. Concilium profiteatur, se laudabilem illum vsum ab Orientali Ecclesia accepturum; ideo quòd Occidentalis Ecclesia hac consuetudine careret.

Post

Poſt ſcriptum hunc fidei libellum, communi omnium Patrum ſententia, Eunomianorum, Arianorum, aliorumq. hæreſes cum ſuis Auctoribus, edito deſuper Canone, damnatas fuiſſe, eorumdem epiſt. Synodica ad Damaſum, anno ſequente ſcripta teſtatur.

Poſtea quæ ad mors Eccleſiæ reformandos pertinent, alia decreta addiderunt. Quibus omnibus abſolutis, ad Theodoſium Imperatorem Synodicam Epiſtolam tranſmiſerunt, eo fine, vt fidem Imperatoris ſtabilem duraturam ſibi oppignerarent. Demùm, Synodum hoc modo abſolutam, præſentes Epiſcopi ſua ſubſcriptione confirmarunt, & comprobarunt.

De Præſide vero huius Cōcilii, hæretici contendunt, quod neque Romanus Epiſco- *Præſes Cōcilij quis.*

pus, neque vlli eius Legati præfuerunt; Sed Nectarius Episcopus Constantinopolitanus. At contra hoc est, quia Nectarius in locum Gregorii se ipsum abdicantis, nondum suffectus fuerat. Vnde dicendum, vel Gregorium Nazianzenum Constantinopolitanæ Ecclesiæ Episcopum, vel Meletium Antiochenum eidem præsidisse.

Synodus hæc Oecumenica fuit.

Fuit autem hæc Synodus Oecumenica: Damasus enim Pontifex, eam in iis, quæ sunt fidei approbaturus, nominat eam Oecumenicam: quia in id quòd Occidens, ac demùm vniuersa Ecclesia cum Romano Pontifice de Spiritus Sancti diuinitate sentiendum esse docebant, paribus votis, vnaque sententia omnes etiã Orientales ediderunt. Tantũ enim roboris, & firmitatis quælibet Synodus consequi

solet, quantum auctoritatis illi Apostolica Sedes impertit. Cùm itaque, Auctore Photio in libello de Septem Synodis, Damasus non modò eam approbarit, verum etiam Oecumenicam nominet ipse, omnesque posteri appellarint, Oecumenicam fuisse, dubium non est. Ex hoc ergo sic dicta est; non autem quod vniuersaliter sit indicta, vocatiq. ad illam fuerint tam Orientales quàm Occidentales Episcopi, adeoque Romanus Pontifex, saltim per Legatos interfuerit. Res sic se habuit.

Synodi robur, & auctoritas ab Apostolica Sede emanat.

Imperator Theodosius (nō tamen sine Romani Pontificis auctoritate, vt supra dictum est) occasione schismatis, quod in Ecclesia Constantinopolitana conflatum fuerat à Maximo Cynico, qui illam Sedem inuaserat, Gregorio Nazianzeno, vero illius

possessore, in suburbijs ægrotante, vel sanè post Concilium Aquiliense, Damasus cum Occidentalibus Episcopis Synodum habens ob alias causas, & præsertim pro extirpanda hęresi Macedonij, vt Synodus Orientalium Constantinopoli haberetur; cum Theodosio per litteras egerat; quod Imperator, etiam pro alijs Ecclesiæ necessitatibus interim ingruentibus executus est. Verùm cùm postea Damaso cum Concilio Romano videretur Oecumenicum Concilium Romæ habendum esse; eòque etiam Orientales, qui iam tum Constantinopoli Cōcilium celebrabant, ope Imperatoris euocandos; accidit, vt Orientales in hac vocatione difficiles se se probauerint; fortè quòd nonnulla à se nossent factitata, & decreta; quorum rationem in generalis

Concilium Constantinopolitanum I. vnde generalis nomen acceperit.

Orientalis Episcopi ad Concilium generale Romæ congregatum venire renuunt.

is Orbis iudicio coràm Sede Apoſtolica, non facilè eſſent reddituri; quale erat; quod accidit in amotione (ſponte alioquin cedentis) Gregorij Nazianzeni à Sede Conſtantinopolitana, & ſubrogatione Nectarij, viri quidem boni, ſed Neophyti; imò dum eligeretur, nondum baptizati; adeoque Eccleſiaſticarum rerum non ſatis gnari: in ſumma, tanto oneri longè imparis. Item quòd admiſerant in electione Flauiani in Sede Antiochena in locum Meletij, in contumeliam Paulini, veri Epiſcopi Antiocheni, iam olim creati à Lucifero Sedis Apoſtolicæ Legato. Res enim, probante id, & agente Concilio Antiocheno ita tranſacta erat inter Meletium, & Paulinum, vt qui ex duobus iſtis ſuperſtes alteri eſſet, ſolus, nullo alio de-

ſignato Epiſcopo, Antiochenam Sedem occuparet. Contigit, priorẽ mori Meletium, & contra Eccleſiaſtica decreta, præterito Paulino, ſubrogatus eſt defuncto Flauianus. Cuius electionem conſtat ſemper improbaſſe Damaſum quamuis humaniùs cum electoribus egerit. Potuit & alia eſſe cauſa huius tergiuerſationis, quòd Imperiali reſidentia noua Roma ſuperbior, ægrius veteris Romæ prærogatiuam iam tum ferre cœpiſſet. Quicquid ſit, alias ipſi in Synodica epiſtola excuſationes obtendunt, quòd Eccleſiæ recens hæreticis adhuc præ foribus ſtantibus ademptæ, paſtorum diuturnam abſentiam non ferrent: quòd à ſuis coëpiſcopis, qui in Prouincijs remãſerant, non niſi Conſtantinopolim dimiſſi, quo etiam tantum Imperatoris

toris literis euocati essent; adeoque Romanum iter suscipere, eis inconsultis, non possent: Consuli autem eos, breuitatem temporis non permittere. Suaserunt itaque Imperatori, & persuaserunt satisfactum iri desiderio Damasi, & Synodi Romanæ, si ipsi similem Synodum celebrent Constantinopoli, quæ cum Romana, quasi in vnam Oecumenicam coalescat, vltrò, citròque mutuis decretis transmissis, & hinc inde receptis, & probatis, quod eò faciliùs successum habuit, quòd Orientales in negotio fidei, Damasi literas adamussim sint sequuti, & tres ex suo ordine Episcopos Romam destinauerint, Eusebium, Cyriacum, & Priscianum: quo factum est, vt ea, quæ circa fidem Constantinopoli constituerant, Romanus Pontifex,
&

& Occidentalium Romæ consistens Synodus approbauerit, & Oecumenicorum decretorum auctoritatem habere voluerit, vt patet ex epistolâ Damasi ad Paulinum Episcopum Antiochenum, quam refert Theodoretus, lib. 5 hist. c. 10. quamuis perperàm vocet Paulinum Episcopum Thessalonicensem. Hoc ergo modo, quod neque ex forma, & ordine gestorum per se habuit Constantinopolitana hæc Synodus, Oecumenicæ nomen accepit: cùm alioqui sui natura, Romana, quæ eodem tempore habebatur, potius fuerit Oecumenica dicenda, nisi eius acta intercidissent; præsertim cùm ei non tantum prędicta trium Episcoporum ex Synodo Constantinopolitana missa fuerit legatio; sed conuenerint & alij ex Oriente Episcopi, inter quos fuit Paulinus Episcopus

An-

Antiochenus, & celeberrimus ille ſcriptis, & ſanctitate Diuus Epiphanius, Epiſcopus Conſtantiæ in Cypro; quibuſcum venit etiam tunc ſanctus Hieronymus, qui de hac Romę coacta Synodo ſcribens ad Principiam, epiſt. 16. meminit his verbis: *Cùm Orientis, & Occidentis Epiſcopos ob quaſdam Eccleſiarum diſſenſiones; Romam Imperiales literæ contraxiſſent, &c.* Omnibus his adde ex Theodoreto, vbi ſupra c. 9. Theodoſium Imperatorem nō tam indixiſſe Conſtantinopolitanam hanc Synodum, quàm literas Pontificis Damaſi, quibus Concilium indicebatur, ad Epiſcopos miſiſſe. Sic enim ſcribunt Epiſcopi congregati in illo Concilio ad Damaſum Pontificem apud Theodoretum. *Mandato*, inquiunt, *literarum ſuperiore anno à Ve*

S. Hieron. huic Concilio interfuit.

ſtra Reuerentia ad ſanctiſs. Imperat. Theodoſium miſſarũ ad iter dumtaxat Conſtantinopolim vſque faciendum nos præparauimus, Sic illi. Licèt ergo Theodoſius Concilium hoc indixerit; ex mandato tamen Apoſtolicarum literarum indixit.

De Concilio Epheſino I.

Anno Do 431 ANno 431. conuocatum fuit Conciliũ Epheſinum I. auctoritate Cæleſtini Papæ, petente, & fauente Theodoſio iuniore Imperatore. Ad quem Cœleſtinus inter alia ſic ſcripſit: *Maior vobis fidei cauſa eſſe debet, quàm Regni, ampliuſque pro pace Eccleſiarum clementia veſtra debet eſſe ſollicita, quàm pro*

Cæleſtinus Papa ad Imp. opr Concilice. celebrando ſcribit

pro omni securitate terrarũ. Subsequuntur enim omnia prospera, si primitùs, quæ Deo sunt cariora seruentur. Et infra. *Pro vestri enim Imperij salute geritur quicquid pro quiete Ecclesiæ, vel sancta Religionis reuerẽtia laboratur.*

Pro Imperijs salute geritur, quicquid pro Ecclesiæ quiete laboratur.

Ad hanc Synodum conuenerunt Episcopi plusquam ducenti ex Oriente, & nomine Pontificis Romani Cyrillus Episcopus Alexandrinus præfuit. Ad quos omnes Cœlestinus Papa inter multa sic scribit. *Accingatur armis Dei Vestra Paternitas: scitis quæ galea caput nostrũ muniat quæ lorica pectus includat: non vos nunc demum Ecclesiastica rectores castra cœperunt. Agendum est nunc labore communi, vt credita, & per Apostolicam successionem hucusq. detenta seruemus.*

Episcoporum numerus qui ad Concilium venerunt.

In hoc Concilio damnata

Acta Concilij.

est

est hæresis Nestorij. Res sic se habuit. Nestorius Constantinopolitanam Sedem adeptus, duxerat secum Antiochia Anastasium Presbyterum, fidissimum comitem, quo admodum familiariter vtebatur. Hic Presbyter, cùm aliquando verba faceret ad populum in tantum scelus erupit, vt Beatam Mariam *Theotocon*, hoc est Deiparam vocandam esse, impudentissimè negauerit; propterea, quòd ab homine Deus nasci non posset. Excitauit impia vox magnos populi tumultus, ac turbas. Nestorius autem suum præsbyterum tantę seditionis auctorem, diro alioquin anathemate, & vltimo dignũ supplicio, aduocata cõcione, magnificè collaudauit: vtq. sacrilegia sacrilegijs affirmaret, sublato *Deiparæ* nomine, Christum Dominum in duas

Breuis historia totius progressus Nestorianę hæresis.

di-

distraxit hypostases, ac personas, in eoque asseruit, sicut naturas duas; ita & filios duos, & Christos duos, vnum quidem Deum ex Patre Deo, hominem alterum ex Matre; quam idcirco non *Theotocon*, se *Christotocon* appellabat.

Sed & Dorotheus quidam Episcopus spe sordidi quæstus Religionem prodidit: nam in Ecclesia coram Nestorio Sacris operante, cùm in editiorem cathedram irrupisset, ex ea repentè omnibus, qui *Deiparæ* vocem vsurpasent, anathema conclamauit. Facinus comprobat Nestorius, impiumque, impius Sacrorum mysteriorum communione dignatur.

Ex hæretica doctrina excitatur tumultus plebis Senatus, Monachorum, & Archimandritarum.

Attollitur continuò irati populi clamor, ac fremitus aduersus Episcopum, obstrepitur docenti, decurritur per vrbem magno tumultu ab ne-

farij

sarij hominis consortio secessio fit, non modò plebis, & Senatus, sed Monachorum quoque & eorum, qui Archimandritę dicebantur. Mœstis demum vocibus inclamatur per vicos, esse quidem in Vrbe regulum, Episcopum non esse. Quas ob causas ira, ac metu furere cœpit Nestorius, rapere quos posset ad iudicum tribunalia, Clericos rectè sentientes ab aris & focis abellere, vexare fame, vinculis, calcibus, Archimandritas.

Cyrillus aduersus Nestoriũ se opponit: librosque tres contra suam hæresim euulgat.

Vulgantur interea per Orientem Nestorij conciones, sanie, & veneno diffluentes: fremunt aduersus eas orthodoxæ plebes, & Antistites, Cyrillus in primis Alexandrinus Episcopus: Is primum Aegypti Monachos per literas de Nestorio docuit, eiusque detestabilem doctrinam, prout

prout par erat, detexit: deinde cùm Neſtorianum malum magis, ac magis inualeſceret pullulantem hæreſim doctiſſimè confutauit libris tribus, ad Theodoſium, & ad Reginas hoc eſt Pulcheriam, & Eudoxiam miſſis.

Re cognita à Cœleſtino Papa, ſtatim coëgit Romæ Concilium, Neſtorijq. exitialem hæreſim damnat. Deinde per litteras primarijs Orientis Epiſcopis Catholicæ fidei patrocinium aduerſus Neſtorianos furores grauiſſimis verbis commendat, Cyrillo in primis, cui etiam partes; vicéſque demandat, vt Apoſtolicæ Sedis nomine ſententiam contra Neſtorium (niſi intra legitimum tempus facti pœniteat) euulget, atque exequatur: peſtilentemque hominem à fidelium communione depellat. Et cùm

Damnatur Neſtorius in Cõcilio Romano.

Cyrillo à Papa totũ negotium demandatus in Orien.

multa tentasset; vt eum ad meliorem frugem reduceret, & ipse nihilominus ostinatior fieret, congregatur Concilium Oecumenicum, damnatur Nestorij impietas, & B. V. Dei Mater proclamatur; quippe quæ verè genuerit Deū: nam ille, quem genuit, personam humanā non habebat; sed diuinam. Et ex tunc in Salutatione Angelica addita fuit particula illa infine: *S. Maria Mater Dei, Ora pro nobis peccatoribus, &c.*

Damnatur Nestorij impietas.

Additio particulæ S. Maria mater Dei ora pro nobis peccatoribus &c. quādo Salutationi Angelicæ adiuncta.

Hanc Nestorij condemnationem Apostolicæ Sedis Legati, qui post latam sententiā aduenere, cum Acta Synodi recognouissent diligenter, suo etiam suffragio, & chirographo munierunt.

Damnato Nestorio, fiunt acclamationes.

Post damnatum Nestorium secutæ sunt acclamationes; quibus Cælestinum, qui iam antea in Conc. Rom. Nestoriū

cun-

eundem damnauerat, mirificè laudauerunt.

Scriptum eſt deinde fidei decretum: cui ne quid adderetur, vel detraheretur, ſub anathemate præceptum eſt. Porrò egredientes ab Eccleſia Epiſcopos populi deduxerunt cum lampadibus ad diuerſoria, & facta eſt lætitia magna: luminariaque in Ciuitate poſita: quin & mulieres ipſæ adolentes thymiamata cum thuribulis Epiſcopos præceſſerunt.

Egredientes Epiſcopos mulieres thuribulis ecs precedunt & honorifice ad diuerſoria deducunt.

His & alijs in Concilio peractis, Legatos ad Cœleſtinum, Papam miſerunt: quos Sũmus Pontifex, ſumma totius Eccleſiæ exultatione excepit, & literas Epiſcoporum apud Confeſſionem S. Petri, præſente vniuerſo Clero, & Populo Romano legi præcepit. Factus autem voti compos, encyclicas ad omnes Patres, qui

Patres Concilij legatos ad Papam pro confirmatione decretorũ mittunt.

Epheſi -

Ephesino Concilio interfuerunt, misit : in quibus post gratulationem mutuam, hortatur, vt ad Ioannis Antiocheni, aliorumque Nestorianorum conuersionem sedulam operam impendant : fidemque in S. Synodo stabilitam, violari, vel infamari, tum populos, hæresi damnata, corrumpi non sinant.

Nestorius quod postea egerit.

Interea verò Nestorius cũ quibusdam suæ factionis Sectarijs cùm sua peccata deflere, ac tandem resipiscere debuisset, aduersus veritatem Catholicam, & Cyrilli capitula calamum armauit; sed frustra. Nam ea volumina, quæ in monasterio S. Euprepij apud Antiochiam relegatus, maledicè, & cõtumeliosè scripserat, Imperatoris edicto conquisita, eiusdem iussu igni data sunt: eundemque tanquam malorum omnĩum

Nestorij libri igni dicatur.

omnium huius temporis au-ctorem, in exilium ablegare mandauit. Ita Nestorius non solùm decreto Sanctorum Patrum Ephesi congregatorum, Sacerdotio eiectus est; verum etiam Imperatoris iussu in exilium damnatus, pœnas debitas luit. Ibi enim degens, & sæpè sæpiùs loca mutans; tandem putredine totum corpus occupante, consumptus, lingua à vermibus exesa, eam ex huius vitæ miserijs ad grauiora supplicia iusto Dei iudicio infligenda, eaque sempiterna transiuit.

Nestorius in exiliū mittitur, & demū putredine consumptus vitā cū Inferno commutauit.

De Concilio Ephesino II.

ANno 449. Eutychete damnato in Concilio Constantinopolitano I.

Anno 449.

Chrysaphius Eunuchus Imperatorij cubiculi præfectus, nullum non mouit lapidem, vt Acta Synodalia à Flauiano legitimè confecta, plenè irrita redderet, & in ipsum Flauianum damnationis pœnam converteret. Huius ergo fraude, & dolo inductus Theodosius Imperator, vsurpata sibi Pontificia potestate, Synodum Oecumenicam contra ius, & consuetudinem Ecclesiæ indixit: datoque ad Diosforum Alexandrinum rescripto, eum Synodi Præsidem constituit, concessa eidem facultate adducendi quos vellet Episcopos, quique Eutychetis causæ contra Flauianum fuerunt.

Theodosius Imp. vsurpata iurisdictione Concilium Oecumenicum indicit.

Quoniam verò Imperator non ignorabat, Concilium Oecumenicum nullum fore, quod absque Pontificis auctoritate indictum esset; illud

Concilium nullum Oecumenicum legitimum fore absq. Romani Pontificis auctoritate congregatum, etiã ipse Imperator nouit.

illud inijt consilium, vt eum quidem vocaret, sed tamen ne vel per se, vel etiam per Legatos adesset, cautè admodum præcaueret, angustissimum terminum ei præfigendo: sed frustrà hoc; nàm Pontifex tres Legatos à latere misit, Iulianum Puteolanum Episcopũ, Renatum Presbyterũ Cardinalẽ tituli S. Clementis, atq. Hilariũ, seu Hilarum S.R.E. Card. Diaconum. Qui postquam de sua commissione; & legatione Synodum informarunt, encyclicam epistolam Leonis de Verbi Incarnatione ad Synodum, & ad Flauianum transmissam legendam obtulerunt. Et dum instarent, vt legeretur, cùm Eutyches oppositam Legatorum contradictionem suspectam allegasset, eo suspicionis argumento, quòd apud Sanctum Flauianum mansis-

ſent,& cum eo pranſi fuiſſent; Dioſcorus incompetente exceptione attenta, Legatorum petitionem repulit, ipſiſque inuitis, Acta Conſtantinopolitana legi permiſit. Quæ dum legerentur, illi, qui Dioſcoro abblandiebantur, bis, teruè Eutychianam hæreſim clamoribus ſuis interpoſitis confirmarunt. Lectione Actorum abſoluta, à Dioſcoro, eiuſque Sectatoribus, reclamante Flauiano, Eutyches eſt abſolutus. Cui ſententiæ, vt ſubſcriberēt Donnus Antiochenus, Iuuenalis Hieroſolymitanus, Stephanus Epheſinus, alijque inſignes Epiſcopi, minis exilij, & depoſitionis inducti fuere: impijque Hæreſiarchæ abſolutionem ratam habuere.

Eutyches abſoluitur, eiuſq. hæreſis proclamatur.

Quibus peractis, Flauianus Conſtantinopolis, Euſebius Dorilei; Ibas Edeſſenus, Theodoretus

S. Flauianus deponitur, ſicut & cæteri ſequaces.

doretus Cyri Epiſcopi condē nati, Sedeq. Epiſcopali ſurrogatis alijs, amoti fuerunt. Quod qua ratione acciderit, in Synodo Calcedonē. Dioſcoro præſente teſtatus eſt Acacius Epiſcopus his verbis. *Pura charta ſubſcripſimus compulſi, & violenter, & multa mala perpeſſi nolentes: ſed & per potentiam perpeſſi ſubnotauimus. Vſque enim ad veſperam tenuerunt nos recludentes in Eccleſia, & ægrotantes nos neque quieſcere permiſerant, neque concedere, vt aliquãtulum refocillaremur: ſed milites nobis cum fuſtibus, & gladijs impoſuerunt, & ſic fecerunt nos ſubnotare.*

Epiſcopi Catholici, vt ſubſcribant per vim impelluntur.

In hoc tam horrendo Epiſcoporum naufragio, ſola nauicula Petri incolumis emergens ſaluatur. Legati enim Apoſtolicæ Sedis Dioſcoro audaciſſimè in faciem reſtiterunt,

Legati Apoſtolicæ Sedis Dioſcoro in faciem reſiſtunt.

Quæ per vim, & metum extorquentur nullius roboris sunt.

runt, contestantes, nullius roboris esse, quæ per vim, & metum extorquerentur. Constat hoc tum ex literis Leonis Romani Pont. ad Theodosium, tum ex literis Pulcheriæ Augustæ ad ipsum Leonem Romanum Pont. quæ extãt inter præambulares Concilij Chalcedonensis. Sanctus verò Flauianus post interpositã viua voce appellationem, animo prosequendæ eiusdem appellationis, scriptum libellum appellatorium Legatis cùm obtulisset, cæsus est, (inquit Liberatus in Breuiario, cap. 12.) & multis iniurijs affectus, dolore plagarum, migrauit ad Dominum.

Flauianus post appellationem factã cæsus, & multis iniurijs affectus migrat ad Dominũ.

Reprobata est Synodus.

Hunc tandem finem consecuta est Synodus Oecumenica, quam à S Leone improbatam, Maiores nostri iure *Prædatoriam* appellarunt, in qua omnia per vim, & metum ex-

torta

torta: in qua loco Sacrorum librorum gladij, atque fustes: in qua suffragiorum libertas fuit vincta catenis: in qua pro Dei laudibus auditæ sunt militum ruinæ: in qua perfidus Hæresiarcha Præses, & Patronus: in qua hæresis est stabilita: in qua nullus iudicij sacri ordo seruatus: nulla viguit censura Canonum, & Decretorum: in qua siluerunt Episcopi, clamauerunt hæretici: in qua de oppressa fide Catholica impietas triũphauit, & de manubijs lapsorũ Eporũ Diabolus trophæa erexit, atq; tandem de cæde Martyris, superbus tyrannus Dioscorus triumphauit. De qua in vniuersa Ecclesia Catholica auditi sunt vndique gemitus, fuctus, & clamor. De qua ijdem ipsi, qui subscripserunt Orientalis Ecclesiæ Episcopi, repleti sunt vn-

Synodus hæc prædatoria, vocata est & quare.

dique lachrymis, ſemetipſos erubeſcentes, ſuorumque aſpectum vitantes, quòd tam ignauiter fidem Catholicam perdidiſſent, infamem Hæreſiarcham reſtituiſſent, & innocentiſſimum Flauianũ vnà cum alijs Sanctis Epiſcopis condemnaſſent. Baron. anno 449. num. 77. & ſeqq.

In Concilio Romano damnatur Dioſcorus.

In Concilio autem Romano, quod eodem anno ad Kal. Octobr. congregatum fuit, omnia quæ in Concilio Epheſino ab Eutychianis geſta ſunt, penitus condemnata fuerunt. Quod cùm Dioſcorus reſciuiſſet, vix Alexandriam reuerſus, habito Epiſcoporum conuentu, in S. Leonem Pontificem Romanum excommunicationis ſententiam protulit: idq; ſcelus perpetrauit, quod nullus perditorum hominum cogitaſſet.

Dioſcorus congregato conuentu audet in Summum Põtificem excommunicationem ferre.

Mirum eſt dictu, quòd cùm

Euty-

Eutychianam fidem, præcedente Conciliabulo confirmasset, Dioſcorus Epiſcopos plus minùs nonaginta inuenerit, qui latam à ſe ſententiam ſubſcribendo confirmarint; & non potuerit, niſi decem dumtaxat, eoſque lachrymantes, & inuitos inducere, vt latã à ſe in Romanum Pontificem excommunicationis ſententiam chirographo ſuo approbarent. Adeo.n. omnes inauditum hactenus exhorruere facinus, portentumque inſolitum execrati ſunt, vt licèt hæretici facti eſſent, & Catholicæ fidei aduerſarij, ſublimitatem tamen, & maieſtatem Throni Apoſtolici veriti, & reueriti fuerint. Baron. num. 145. & ſeqq.

De Concilio Calcedonensi.

Anno 450. ANno 450. & 451. congregatum est Concilium Oecumenicum Chalcedone auctoritate Leonis Papæ, instante, & vrgente Marciano Imperatore, qui de hac re sic scribit ad Leonem Summum Pontificem (vt constat ex literis præambularibus Concilij Chalcedonensis) *Superest*, inquit in 2. epist. *vt si placuerit Beatitudini tua in has partes aduenire, & Synodum celebrare, hoc facere religionis affectu dignetur*. Et paulò post: *Si vero hoc onerosum est, vt Tu ad has partes aduenias, hoc ipsum proprijs literis tua Sanctitas manifestet, quatenus, & in omnem*

Marcianus Imp. à summo Pont. impetrat celebrationẽ Synodi generalis.

omnem Orientem, et in ipsam Thraciam, & Illyricum nostræ literæ dirigantur, & ad quendam destinatum locum, vbi vobis placuerit (ergo ad Papam pertinet eligere locum) *omnes Sanctissimi Episcopi debeant conuenire, & quæ Christianæ Religioni, & Catholicæ fidei prosint, sicut Sanctitas tua, secundum Ecclesiasticas regulas definierit,* (ergo res in Concilio difinien dæ, à Papa prius debent definiri, cùm sit Ecclesiæ totius, & illius Congregationis Caput) *sua dispositione declarent.*

Ad Papã pertinet locum Concilij eligere, & deputare.

Electa est autem Ciuitas Chalcedonensis, ad quam Sũmus Pontifex Legatos misit, Paschasium scilicet, & Lucentium Episcopos, Bonifacium, & Basilium Presbyteros. Constat hoc, quia ipsi in omnibus Actionibus, primi nomi-

Chalcedonẽ. Ciuitas eligitur. Ad quam Legati mittuntur à Papa.

nantur, primi ſedent, primi loquuntur, primi ſubſcribunt: ipſi ſententiam diffinitiuam in Dioſcorum proferunt nomine Papæ; & totius Concili, Act. 3. his verbis. *Sanctiſſimus, & Beatiſſimus Papa, Caput vniuerſalis Eccleſiæ, Leo per nos Legatos ſuos, Sancta Synodo conſentiente, Petri Apoſtoli præditus dignitate, qui Eccleſiæ fundamentum, & petra fidei, & cœleſtis Regni ianitor nuncupatur, Epiſcopali dignitate Dioſcorum nudauit, & ab omni Sacerdotali opere fecit extorrem.*

Marcianus ſedit ibi, ſed nõ præſedit.

Interfuit etiam, & Marcianus Imperator, & ſedit in primo loco, non tamen præſedit, vt iudex, vt ipſemet teſtatus eſt in oratione ad Synodum, quæ extat, Act. 1. vbi ait, ſe veniſſe ad confirmandã fidem, ſicut olim fecerat Conſtanti-

ſtantinus Magnus : ideſt non veniſſe ad explicandam fidem & controuerſias iudicandas, ſed ad hoc vt fides à Concilio explicata firma, ac tuta cõſiſteret, defenſa videlicet Imperatoris ope, & auctoritate.

Interuenerunt denique nomine Imperatoris in alijs actionibus quidam Iudices ſæculares, qui non erant Iudices controuerſiarum fidei; ſed tantum vt omnia fierent legitimè, ſine vi, & fraude; ac tumultibus. Quia enim in Concilio Epheſino II. Dioſcorus Epiſcopus militibus introductis, vi coëgerat Epiſcopos ad ſubſcribendum: in hoc Concilio interfuerunt, vel Imperator, vel Vicarij eius ad impediendam violentiam. Id quod in toto Concilio apparet: nunquam enim ſententiam ferunt, nunquam ſubſcribunt, & in omnibus ſenten-

Interfuerunt & Imperatoris Vicarij cum militibus, ne tumultus fierent.

rentijs Episcoporum acquiescunt.

Numerus Episcoporum, qui ad Synodum venerunt.

Conuenerunt in hac Ciuitate sexcenti, & triginta Episcopi: ex quibus erant Patriarchæ Dioscorus Alexandrinus qui tamen mox eiectus est: Maximus Antiochenus, Anatolius Constantinopolitanus, & Iuuenalis Hierosolymitanus. Qui omnes ad Leonem Primum legationem miserũt, eum recognoscentes Pastorem vniuersalem totius Ecclesiæ. Ex quo conuincitur hereticorum perfidia, qui quamuis se recipere quatuor generalia Concilia asserant; Primatum tamen Ecclesiæ Romanæ recognoscere nolunt.

Patriarchæ omnes Primatum Ecclesiæ Romanæ profitentur.

Damnata est in hac Synodo heresis Eutychetis Archimandritæ, quæ vnam tantum in Christo naturã asserebat post Incarnationem, humanam, scilicet, eamq. passam, atq. mortuam

Eutychetis heresis damnata.

tuam

tuam esse, &c.

Sed mirum accidit hoc eodem tempore: nam aduersus hunc Agiomachorum ducem, non fulgur intorserit, sed canticum duntaxat præparauerit Deus, quo Diuinitatis immortalitas vbiq. gentium prędicaretur, & per ipsum offensi numinis imploratio conciliaretur. Quod qua ratione, quoue tempore acciderit, tum ex antiquo Græcorum Menologio, tum ex Damasceno de Trisagio, & ex alijs, paucis hic perstringendum est. Die 24. Sept. imperante Theodosio (anno Imperij illius 39. qui erat Christi 446. terræmotus factus est magnus, & talis, qualis nunquam antea factus fuisse commemoratur. Quo factum est, vt totus populus vnà cum Imperatore, & Patriarcha Proclo exierit extra vrbẽ ... in

De Trisagio breuis historia.

Terræmotus magnus qualis nunquã antea Constantinopolitani ciues simul cum Imp. & Patriarcha in Cāpũ eueűt.

in locum, qui dicitur, Campus, propterea quòd sine cessatione aliqua erat illa terrarum commotio: & totus populus Litanijs, & supplicationibus diuinam opem imploraret.

Puer in Cœlum diuina vi rapitur.

De repente autem, diuina quadam vi, spectantibus cunctis, puerulus è media turba eripitur, & in Cœlum vsque, vt humanum omnem effugeret obtutum, rapitur. Diuinam audit vocem, qua Angeli Deum laudabant: arrigit aures, exaudit dicentes. *Agios ò theos, agios ischiros, agios athanatos, eleison imas. Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis, miserere nobis.* Et post cantum sibi imperantis vocem excipit, ut hymnum illum protinus renunciet in terra.

Audit Angelos cantare trisagium.

Tremuli, ac mirabundi stabant

bant omnes, Dei misericordiam implorantes, & dicentes *Kyrie eleison.* Descendit puer, & voce magna populum compellans, petit, vt Trisagium in hunc modum decantet *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis, miserere nobis.* Quæ cùm dixisset, animam Deo reddidit, & terræmotus quieuit.

Puer è Cælo demissus, reuelat auditū Trisagiū.

Trisagiū cantatur, & terræmotus quiescit.

Ecclesia autem Latina idcirco in 6. fer. Parasceues tale Trisagium repetit, quia quidam Petrus Gnapheus Episcopus Antiochenus hæreticus ad errores Eutichetis addidit vt in Trisagio Crux poneretur, & diceretur, *Sāctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis, qui crucifixus es pro nobis.* Ex quo videbatur, totam Trinitatem fuisse crucifixam. Propterea S. Elias Ierosolymitanus Episcopus ordinauit, vt sanctus ille hymnus

Ecclesiā Latina in fer. 6. Parasc. quare Trisagium repetat.

Petri Gnaphei hæresis

Græ

Græca lingua caneretur, in qua nullum additamentum patiebatur. Qui mos, etiam in Ecclesiam Occidentalem manauit, vt die Sancto Parasceues is hymnus Græco sermone concineretur.

Ecclesiæ res non Secundum Pragmaticas, sed secundum Canones iudicandæ sunt.

In hoc eodem Concilio, vt habetur in sess. 5. dum disputaretur, an quædam causa de vsurpatis ab Eustathio Ecclesijs Tyriæ Metropolis, deberet iudicari secundum Pragmaticas sacras; an verò secundum regulas Patrum. Sancta Synodus dixit: *Contra Canones nil pragmaticum valebit. Regulæ Patrum teneant.* Gloriosissimi Iudices dixerunt. *Nunc tempus est, edoceri nos à S. Synodo, an liceat ex sacro Pragmatico, aliena Ecclesiæ iura ab alijs Episcopis auerti.* S. Synodus dixit: *Non licet hac: est præter Regulas.*

Decernitur pariter in hac eadem

eadem Synodo, vt Hierosolymitana Ecclesia Patriarchalem honorem habeat: vnde ex eo tempore Episcopus Hierosolymitanus Patriarchæ nomen obtinuit post Constantinopolitanum; Alexandrinum, & Antiochenum: antea enim Cæsariensi subijciebatur, qui Syriæ Metropolitanus erat.

Hierosolym. Eccl. Patriarchalem dignitatem obtinet.

Absoluta Synodo, Patres confirmationem à summo Põtifice petiuere. Illa autem, quę à Leone Papa confirmata fuerunt, hæc sunt. *Omnia*, scilicet, *quæ de fide Incarnationis Domini nostri Iesu Christi contra hæresim Eutychianam communi Patrum Orthodoxorũ sententia definita fuerunt*. Id verò, quod instigante Anatolio Constantinopolitano Antistite, ambitiosè, absentibus, & postea contradicentibus Legatis, de Primatu Sedis Constantinopolitanæ cõtra

Patres Conc, confirmationem a Papa petunt.

Constantino. Eccl. nõ habet secũdum locũ post Romanam, itaquod ei æquetur.

tra decreta Nicæni Concilij conſtitutũm fecit, vt poſt Romanam Sedem ſecundum locũ Patriarchalis honoris, ac dignitatis Conſtantinopolitana Eccleſia haberet; id, inquam, Sanctus Leo Pontifex improbauit, caſſauit, atque irritum reddidit.

Primatus non eſt datus Eccl. Rom. ab hominib. ſed a Chriſto.

Præterea habentur in Can. 27. hæc verba: *Etenim antiquæ Romæ Throno quod vrbs illa imperaret, iure Patres priuilegia tribuerunt*: Hæc, inquam, verba falſa ſunt, & ſuppoſititiũ eſſe Canonem oſtendunt, vt latè in noſtra Conciliorum Sũma demõſtramus: nam ipſa Romana Eccleſia non à Concilijs, vel à Chriſtianis Imperatoribus, ſed à Chriſto Domino Primatum obtinuit. Ita enim exorditur Canon ſextus Concilij Nicæni: *Eccleſia Romana ſemper habuit primatum*. Sic etiam fatetur Ana-

Anacletus Papa,epist.3.& Vigilius Papa in epist.ad Eutherum dicit : *Quamobrem sancta Romana Ecclesia eius merito, voce Domini consecrata, & Sanctorum Patrum auctoritate roborata, Primatum tenet omnium Ecclesiarum : ad quam tam Summa Episcoporum negotia , & iudicia, atq; querelæ , quàm , & maiores Ecclesiarum quæstiones,quasi ad caput semper referenda sunt* . Idem quoque habetur in Præfatione Nicæni Concilij in principio, scilicet, quòd *Ecclesia Romana nullis Synodicis decretis prælata est cæteris Ecclesiis, sed Euangelica voce Domini , & Saluatoris nostri Primatum obtinuit.* Vide nostram Summam Conciliorum in annotat. can. 27. Concilij Chalcedonensis ;

Eccl. Ro. semper habuit primatum.

De

De Concilio Constan tinopolitano II.

Anno Do. 553.

ANno Domini 553. celebratum est Cõcilium Oecumenicum Constantinopolitanum II. quod communiter dicitur, *Quinta Synodus generalis*. Sed animaduertendum, hanc non esse eam, quæ sub Agapito, & Menna celebrata est; quæque in tom. 2. Cõciliorum sub nomine Quintæ Synodi quatuor actionibus continetur: siquidem illa particularis fuit, & Quintam Synodum antecessit, vt disertis verbis docet Zonaras in Iustiniano, & Nicephorus lib. 17. cap. 9.

Animaduersio pro V. Synodo.

Synodus vera vbi, et qua auctoritate coacta.

Vera autem Quinta Synodus coacta est apud Constantinopolim, Vigilio summo Põtifice

tifice, & Iustiniano Seniore Imperatore anno 12. post consulatum Basilij, vt initio eiusdẽ Synodi legimus, qui est annus Dominicę Incarnationis 553. vel 556. iuxta Psellum, qui annis 102. vult posteriorem esse Quintam Synodum Quarta. *Euagr. lib. 4. cap. 37.*

Conuenerunt Episcopi 165. vt idem Psellus tradit: è quibus erant Patriarchæ, Eutichius Constantinopolitanus, Apollinaris Alexandrinus, Dõnus Antiochenus, & Eustochius Hierosolymitanus, qui tamen non per se, sed per Legatos interfuit. *Episcoporum numerus in hac Synodo cõgregatorum.*

Congregata est hæc Synodus contra Petrum Antiochenum Episcopum, Antimum Patriarcham Constantinopolitanum, Seuerum, Theodorum, & Zoaram Episcopos hæreticos Origenistas; & auctoritate Episcoporum damnatione facta *Acta Cõcilij.* *Damnantur, Origenes & sequaces.*

cta, constitutionem edidit Imperator, qua præfatos quinque hereticos iussit è suis sedibus eijci, iuxta sententiam Agapiti Papæ, & Sanctorum Episcoporum.

Errores autem, qui in Origenis operibus damnantur, sunt sequentes.

Origenis errores dānati.

1 QVòd Adam post peccatum imaginem Dei prorsus perdidit. *Epiphan. epist. ad Ioannem Episcopum Hierosolym.*

2 Dicebat quoq. Origenes, eodem Epiphanio auctore, animas ante infusionē corporis peccasse, & in pœnam peccati, in corpora, tanquam in carcerem fuisse inclusas.

3 Asserit rursus, nec beatitudinem, nec miseriam, esse perpetua, sed omnium impiorum

piorum hominum, ipsorumque etiam dæmonum tormenta finem habitura.

4 Docet quoque inæqualitatem Trinitatis Filij, & Spiritus Sancti: ex quo Pater ille, fons, & origo Arrianorum ab Epiphanio appellatus est: (is enim ferè centum annis præcessit Arrium) de quo loquens D. August. lib. de hæresib. cap. 43. ita ait: Dicit præterea Origenes, quòd filius Dei Sanctis hominibus comparatus, veritas sit: Patri collatus, mendacium: & quantũ distant Apostoli à Christo, tantum Filius à Patre. Vnde nec orandus est Filius, inquit, cum Patre, quia non est auctor indulgendarum petitionem, sed supplicator. Hæc de Origene Augustinus.

Origenes Pater, fons et origo Arianorum.

5 Impingit quoq. Filio ignoran-

rantiam, cùm ait (teste Epiphanio) Filium non posse videre Patrem: nec Spiritum Sanctum posse videre Filium Contra id quod habetur Matt. 11. *Nemo nouit Filium, nisi Pater; neq; Patrem quis nouit, nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare.*

5 Quòd corpora post resurrectionem iterum erunt mortalia, & multis sæculis trãslactis in nihilum redigenda.

6 Ad hæc, Cælum, Solem, Lunam, stellas, & aquas; quæ supra cælos sunt, animatas & rationales quasdam virtutes esse dicebat.

7 Quòd in resurrectione corpora hominum rotunda, & orbiculari specie excitabuntur.

8 Insuper, quòd pro dæmonibus quoque Christum

cruci-

crucifigi, atque idipsum sæpius sæculis futuris pati oportebit à Spiritibus malignis, qui in cælestibus sunt. Quæ omnes blasphemię in hac Synodo damnatæ sunt.

Damnauit quoque Synodus multa in Theodoro Mopsuesteno, quòd diceret, duas esse in Christo personas, Dei, scilicet, & hominis: vnionem Verbi cũ natura humana factã esse, nõ secundũ personã, sed secundum gratiam. Beatissimam Virginem non esse Dei genetricem, sed Christi hominis.

Damnatur etiam aliæ ipsorum hæreses.

Præterea damnauit Synodus ipsum Theodorum, eo quòd dixerit, alium esse Dei Verbum, alium Christum, passionibus animæ, & carnis concupiscentijs vexatum, & à malis infestatum: atque à

malis ſeparantem ſe paulatim: & ita ex promotione operum meliorem effectum: & ex vitæ conuerſatione incontaminatum conſtitutum: tanquam purum hominem baptizatum in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Et per Baptiſmũ gratiã Spũs S. accepiſſe, & adoptionem promeruiſſe: & in ſimilitudinem materialis imaginis adorari in perſona Dei Verbi: Et inſtar Platonis, Epicuri, & Marcionis, qui propria inuenta Secta ſuos diſcipulos nominari fecerunt Platonicos, Epicuros, Marcioniſtas, Chriſtum propriam Sectam inſtituiſſe, ex qua vocati ſunt Chriſtiani.

Condemnauit itidem Synodus impia ſcripta Theodoreti, quæ contra duodecim Sancti Cyrilli capitula conſcripſit.

Item Epiſtolam Ibæ Epiſcopi

copi Edesseni ad Marium Persam, in qua Nestorium, & Theodorum Mopsuestenum, & eorum impia dogmata defendit, damnatq. duodecim S. Cyrilli Capitula, & ipsum Cyrillum hæreticum appellat. Vide *Zonaram* in vita Iustiniani, Nyceph. lib. 17. cap. 27. & Liberatũ in Breuiario, cap. 23. & 24. qui, vt optimè monet Bellarminus, cautè legendus est; quæ enim hic dicit, aut sua non sunt, aut ipse falsa alia relatione deceptus fuit. Certè non congruunt cum aliorum Catholicorum Patrum narrationibus.

Damnatis omnibus paulò ante dictis, magnisq; propterea inter ipsos Catholicos excitati motibus, cõmissis inter se Oriente, & Occidente: eò tandem adactus est Imperator, vt Vigilij monitis cesserit, qui nolebat quidquam

de his capitulis statui ante Concilij Generalis cognitionem, suumque edictum reuocauerit. Et in Concilij ea de re cognituri, (quod fuit hoc Quintum generale) conuocationem consenserit.

In eo tamen studio suarum partium excessit contra Vigilium Imperator, quòd conatus sit, solos suæ opinionis aduocare Episcopos, exclusis illis, qui aliter sentirent. Verùm & in eo iterum à Vigilio correctus fuit. Et quamuis in hac Synodo non per omnia Vigilio satisfactum fuerit; eam tamen approbando postea Sedes Apostolica, fecit Oecumenici nomen obtinere. Quã quam tum quod de personis potius, quàm de fide disputarit: tum quòd obtinere non potuerit Romani Pontificis, ne quidem in Legatis suis, præsentiam, licet sæpe implora-

Oecumenici nomen quare obtinuerit.

tam,

tam, ſupparis vix cum quatuor primis auctoritatis habita fuerit. Romanus enim Pontifex, quamuis Conſtantinopoli præſens, noluit adeſſe Concilio, eo quod pauci ex Occidente aduenissent Episcopi, cùm tamen cauſa, quę potiſſimum tractabatur, controuerſa eſſet inter Orientales, & Occidentales, Ideoque in propria cauſa Iudices impari lance cōſediſſent Gręci.

De Præſide vero huius Cōcilij quiſnam fuerit, variant hiſtorici: aliqui enim Mennam Patriarcham Conſtantinopolitanum præfuiſſe huic Concilio affirmant, ſed auctoritate Vigilij Papæ, qui vt dictum eſt, Conſtantinopoli tunc erat. Alij verò Eutychem Mennę ſucceſſorem fuiſſe Præſidem aſſeuerant. Vtraque ſententia habet graues auctores. Nos in noſtra Con- *Præſes Cōcilij quis.*

ciliorum Summa hanc secundam opinionem amplexati sumus.

Synodus hæc à pluribus Pontificibus approbata fuit.

Fuit autem hæc Synodus probata à Pelagio Papa, Sancti Gregorii antecessore, vt patet ex illo libro, quem, teste Gregorio lib. 2. epist. 36. conscripsit aduersus Schismaticos. Eam etiam probauit S. Gregorius, lib. 1. epist. 24. Leo I. scribens ad Constantium Imp. Idẽ præstitit Adrianus Papa in epist. ad Nectarium. Et denique à Vigilio ipso per libellum. Vide Niceph. lib. 17. c. 27. Euagrium lib. 4. cap. 37. & nostram Summam Conciliorum.

Nec propter hoc de inconstantia, aut alia labe Vigilius debet redargui, vt impiè faciunt hæretici: quia, teste S. Gregorio, lib. 3. epist. 37. non fuit hic disceptatio vlla de fide, sed tantummodo de per-

sonis,

ſonis, quæ pro diuerſitate circumſtantiarum, citra periculum hæreſis, vel etiam vllius alterius criminis, quandoque affirmari, quandoque negari poterat.

De Concilio Conſtantinopolitano III. ſeu de Sexta Synodo.

ANno Domini 680. & 681. celebrata eſt Sexta Synodus, quæ fuit Conſtantinopolitana III. & res ſic geſta eſt: Conſtantinus Imperator Pogonatus huius nominis, V. ſummo ſtudio conatus eſt, vt Conſtantinopoli Generalis Epiſcoporum conuentus haberetur, quo damnaretur hæreſis Monothelitarum, *Anno D. 680.* *Conuentus generalis congregatur contra hæreſim Monothelitarum*

rum, ideſt, hæreticorum, vnam tantum in Chriſto voluntatem ponentium: & vt Conſtantinoppolitana Eccleſia cum Romana coniungeretur; præfuerunt enim ei Sergius, Paulus, Pyrrhus, & Petrus Monothelitæ omnes. Vnde Imperator Indictione 6. Prid. Idus Auguſti epiſtolam ad Donum Pontificem Romanum miſit, qua petebat, vt ad ſe Legatos mitteret, qui Generali Concilio præſiderēt. Hęc ſunt verba ipſius;

Imperator petit à Papa Legatos vt Concilio præſideant.

Imperatoris verba.

Poſtquam igitur tempus recipit, perfectam Congregationem fieri adhortamur veſtram paternam Beatitudinem per præſentem noſtram piam Sacram, dirigere viros vtiles, modeſtos, notitiam habentes totius à Deo inſpiratæ doctrinæ, & peritiam irreprehenſibilem habentes dogmatum, indutos perſo-

nam,

nam vestra Apostolicæ Sedis, eiusque Concilij: deferentes, & libros, quos oportet proferri, & omnem auctoritatē habentes, &c. Et infra. *Nā Theodoro Exarcho mandaui, congregatis & Episcopis ad Concilium venientibus, naues idoneas, & sumptus necessarios suppeditandos curet.* Extat Epistola in ipsius Concilii Actis intexta.

Episcopis ad Concilium cantibus naues, & sūptus ab Imp. suppediantur.

Interim Romæ Dono Papa mortuo, ei successit Agatho, anno Domi. 678. qui Romæ Conuentum Episcoporum Occidentalium centum viginti quinque habuit. In eo definitum est, in Christo duas esse naturas, & duas voluntates: quod decretum omnes Episcopi sua manu firmarunt. Qua re peracta, Pontifex Episcopis quibusdam diu, sed frustra ex longinquis regionibus expectatis, Legatos tres

Romæ fit conuētus, & damnatur Monothelitarum hæresis.

Con-

Constantinopolim misit, qui vices suas implerent, Theodorum, & Sergium Presbyteros, & Ioannem Diaconum: & totidem Episcopos misit ipse Conuentus Romæ habitus, videlicet Ioannem Portuensem, Abundantium Paternensem, & Ioannem Rheginum. Hi magno Clericorum, & Monachorum numero associati, conscendentes naues, in Mense Octobris Constantinopolim peruenerunt, & honorificè ab Imperatore in Palatio excepti, literas ei Pontificis, & Conuentus Romani reddiderũt, quibus excusatio de Legatis serius missis, & fides Episcoporum de duabus Christi voluntatibus continebatur.

Legati ad Oecumeni cum Concilium mittuntur.

Imperator, his lectis, Legatos hortatus est, vt veritatem, remotis omnibus Philosophorum concertationibus, ex Sanctarum scripturarum monu-

monumentis, & Patrum testimoniis conarentur eruere: & eis hospitia parata distribuit, quotidianosque sumptus assignauit. Mox Gregorium Constantinopolitanũ, & Macharium Antiochenum Patriarchas, vt primo quoq. tempore suos Metropolitas, & Episcopos Constantinopolim aduocarent, admonuit.

Die inde Dominico, sacra pompa (Spiritus Sancti inuocandi gratia) per Vrbem ducta, ad eum Legati, equis stratis missis, mira benignitate Principis inuitati sunt. Tandem septimo idus Nouembr. in penetrale Palatij, qui Trullus dicebatur, Concilium conuocatum est. Legati Pontificis, & Conuentus Romani, & omnes Orientalium Ecclesiarum Metropolitæ, & Episcopi excepti, suo quisque ordine consederunt.

Spiritus Sancti gratia inuocatur.

Qui-

Quibus ritè perfectis, Georgio, & Machario mandatum est, vt quibus suam sententiam de vna Christi voluntate, Conciliorum auctoritatibus fulcirent, exprimerent. Illi tria superiora Concilia protulerunt: verùm multa eos de suo effinxisse conuicti, risum omnibus præbuerunt.

Decimoseptimo Kal. Decembr. Decretum Catholici Pontificis Agathonis, Conuentusq. Romani de duabus Christi voluntatibus Legati ediderunt. His vtrinque prolatis, & sanctorum Patrum testimonia in medium producta sunt. Idibus Febr. testimonia recognita sunt: quorum multitudine, & auctoritate Georgius Patriarcha permotus, statim è sententia destitit. Itaque reuocatis quinto Nonas Martias in Concilium Patribus, cùm surrexisset, clara

Georgius Patriar. et sequaces ad veram finem redeunt.

ra

ra voce se cum Metropolitis, & Episcopis suis, decreto de duabus Christi voluntatibus assentiri dixit, & continuò in partes Catholicorum transiuit.

Macharius, & sequaces in prauitate perdurãt, & puniuntur.

Macharius autem Patriarcha, quid sui iudicij esset, rogatus, se cum suis Metropolitis, & Episcopis in pristino manere proposito affirmauit: citiùsque millies moriturum, quàm de suscepta sententia discessurum. Quam vocem vbi Imperator, & Catholici audierunt, ira perciti, Orarium collo detrahi iusserunt, eumque cum suis ex Concilio eiectum, facto anathemate persecuti sunt.

Orar. stola erat.

Prodigiũ apparet.

Factum est autem, teste Anastasio Bibliothecario, vt eadem hora atræ omnes aranearum telę, è laquearibus Conclauis deciderent. Qua re conspecta, cuncti Catholici su-

subitò nigras ipsas hæreticorum sordes euanuisse, lætis animis, & vocibus exclamauerunt. Condemnati sunt Sergius, Pyrrhus, Petrus, & Cyrillus, omnes Monothelitæ.

Hæretici damnati.

Die inde Resurrectionis Ioãnes Episcopus Portuensis Legatus in æde S. Sophiæ, Missarum solemnia, Imperatore populoque presente, Latinè celebrauit tanto cum populi applausu, & lætitia, vt his quoque latinè nouo more Imperatoris laudibus acclamaret. Ex quo omnes dirum tandem duarum Ecclesiarum dissidiũ penitus esse sublatum iudicantes, maximas Deo de conciliata concordia gratias egerunt.

Die Resurrectionis missa solemniter, sed latinè celebratur, cum magno populi applausu &c.

Postremò, quinto idus Sept. professio fidei à Concilio edita, & post quinque dierum spatium singulorum Episcoporum subscriptionibus firmata est.

Decretis Cõcilij omnes subscribunt.

est. Decimo Kal. Ianuar. Imperator Constantinus, remissis Legatis, literas ad Pontificem, & Conuentum Romanum dedit: quibus se rem ex animi sententia confecisse significauit. Sequēti anno 682. Agatho Pontifex 4. Idus Ianuarij morte absumptus est. In eius locū Leo II. successit; qui mense Iulio Legatos à Cōcilio reuersos cum literis Imperatoris, & ipsius Concilij Actis accepit, eaque sua auctoritate firmauit. Et cùm Latinè, & Græcè peritus esset, Acta Concilij in latinum sermonem conuertit.

Leo II. Papa Concilij acta confirmat.

Cardinalis Bellarminus, lib. 4. de Summo Pōtifice cap. 11. propendit ad sentiendum, Sextam hanc Synodum vitiatam esse ab æmulis Romanæ Ecclesiæ, quia inter damnatos ab illa, ponitur nomen Honorij I. Summi Pontificis; & per multas

Huius Cōcilij Acta deprauata fuerunt.

tas rationes id probare nititur. Idem etiam asserit Albertus Pighius in Diatriba. Contra verò Franciscus Turrianus in Apologia pro VI. & VII. Synodo, veras, & germanas esse docet.

Obiectio cõtra VI. Synodum, quod Honorij Papam damnauit.

Obijcies; quòd in hac VI. Synodo damnatur Honorius tanquam hęreticus & comburuntur eius epistolæ, & in sequentibus Actionibus omnibus repetitur eius damnatio. Et idem habetur in VII. Synodo Act. vlt. Ergo vel est asserendum, Honorium fuisse hæreticum, quod hæretici contendunt: quod etiam aliqui Catholici affirmant, vt Melchior Canus, lib. 6. de locis, cap. vlt. Vel quòd ipsa Synodus errauerit, quod nullo pacto est affirmandum.

Responsio prima.

Ad hoc respdetur, sine dubio Honorij nomen inter eos, qui damnantur in VI. Synodo, insertum

sertum esse ab æmulis Romanæ Ecclesiæ, & similiter quidquid aliud ibi dicitur contra Honorium. Id latè probat Bellarminus, lib.4. de Summo Pontifice cap. 11. Et præterea in epistolis Honorij nullus error continetur. Honorius enim ibi confitetur, quod ad rem attinet, duas in Christi voluntates, & operationes: & solùm prohibet nomina vnius, vel duarum voluntatum, quæ tunc erant inaudita: idque prudentissimo consilio. Nam tunc initium erat huius hæresis, nec ab Ecclesia aliquid de his nominibus erat definitum. Metuens igitur Honorius id, quod postea euenit, ne ista contentio in graue aliquod schisma cresceret, & simul videns sine his vocibus posse fidem esse saluam, voluit conciliare vtramque opinionem, & simul tollere de medio scandali,

Honorij Papæ sententia explicatur.

dali, & cōtentionis materiam. Itaque scripsit in prima epistola, ideo debere abstineri à vocabulo, vnius operationis, nè videamur cum Eutychianis vnam naturam ponere in Christo: & rursum à duarum operationum vocabulo, ne videamur cum Nestorio duas personas ponere. In secunda verò docet modum loquendi, & conciliat opiniones. Vel dicendum cum Turrecremata, lib. 2. de Ecclesia, cap. 93. Patres VI. Synodi damnasse quidem Honorium, sed ex falsa informatione, ac proinde in eo iudicio errasse. Quamuis enim generale Concilium legitimū non possit errare, vt neque errauit hoc VI. in dogmatibus fidei definiendis, tamen errare potest in quæstionibus de facto. Itaque tutò dicere possumus, hos Patres deceptos ex falsis rumoribus, & non

Responsio secunda.

Concilium gener. potest errare in quæst. de facto.

intel-

intellectis Honorij epistolis, immeritò cum hęreticis connumerasse Honorium.

Dices: ergò ne tù melius, Honorij epistolas intelligis, quàm intellexerũt tot Patres? Respondeo, non quidem à me, sed à Ioanne IV. Martino I. Agathone, & Nicolao I. Summis Pontificibus, & à toto Concilio Romano sub Martino congregato, eas epistolas melius esse intellectas, quàm à Græcis in Concilio VI. Et si non reclamarũt tunc Legati, id factum fuit, ad euitandum maius malum. Verebantur enim, si reclamarent, ne impediretur definitio rectæ fidei: & non posset tolli schisma, quod annis 60, iam durauerat: nam damnabantur in eo Concilio Patriarchæ multi Constantinopolitani, Alexandrini, & Antiocheni, quorum successores non acquieuissent

Occurritur tacitè obiectioni.

uissent, nisi etiam Honorius damnaretur, qui vna cum illis accusatus fuerat.

Responsio ad confirmationem primę obiectioni. Ad confirmationem de VII. Synodo, dicendum, Patres illius Synodi sequutos esse Synodum VI. & solùm repetiuisse, quod in ea legerant. Proinde deceptos fuisse ex VI. Synodo, quæ vel corrupta erat, vel per errorem, Honorium damnauerat. Et eodem modo dicendum de Melchiore Cano, qui vtique sequutus est Carranzam in sua Summa Cōciliorum, & sicut errauit Magister, ita pariter & discipulus.

De

De Concilio Quinisexto, seu Trullano.

ANno 692. celebratum est Conciliū Quinisextum, in quo continētur Canones Trullani. Pro qua re sciēdum ex Tharasio disputante in septima Synodo, act. 4. Sextam Synodum, quæ sub Agathone, & tempore Constantini IV. celebrata est, nullos Canones edidisse: sed post annos quinque ab ea Synodo dissoluta, iterum cōuenisse nescio quot Episcopos Græcos auctore Iustiniano iuniore Imperiac multos Canones edidisse sub nomine VI Synodi. Id quod manifeste colligitur, tū ex principio horum ipsorum Canonum, tum ex confessione Tha- *Anno 692.* *Canones Trullani qua occasione editi.*

Synodus hæc erratica fuit.

Tharasij Episcopi Constantinopolitani in Octaua Synodo, Act. 4. quos eosdem Canones erraticam Synodum Beda appellat, & à Sergio Papa, qui tunc sedebat reprobatos fuisse scribit in lib. de sex ætatibus in Iustiniano iuniore.

Synodus hæc aut nõ fuit gener. aut non legitima.

Ex quo fit, istam falsam Synodum Sextam non fuisse Generalem, aut non fuisse legitimam: Nam Generalis legitima esse non potest, vbi deest auctoritas primæ Sedis, vt ipsimet Græci fatentur in Septima Synodo, Act. 6. Et prætereà, quo pacto generalis legitima dici potest, ad quam ne vnus quidem Latinorum est vocatus? Si autem legitima non fuit; planum est, nullã auctoritatem habere potuisse. Si verò legitimã fuit, sed particularis, non generalis, non potuit leges ferre, nisi in homines sibi subiectos: non potuit

tuit igitur Sedem Romanam deprimere, ac priuilegijs spoliare, quod tamen fatere conata est, cùm ei Sedem Constantinopolitanam, alioqui inferiorem, atque subiectam, æquare tentauit.

Hinc factum est, vt orta sit quæstio, vtrum Trullani Canones sint Canonici, & an Ecclesiasticam auctoritatem habeant? De qua quæstione Canus lib. 5. de locis, cap. vlt. in responsione ad 6. argumentum, negat eos Canonicæ, & Ecclesiasticæ auctoritatis esse. Primùm, quia Anastasius Apostolicæ Sedis Bibliothecarius in Proëmio ad VIII. Synodum, ad quam iussu Adriani II. missus est, testatur, eos Canones non esse in Ecclesia Romana receptos, vt habetur, cap. 2. dist. 63. Idem dicit Vmbertus Syluæ candidæ Episcopus Legatus Leonis IX.

Trullani canones nō sunt ab Ecclesia Romana recepti, & probatur multis.

in libello contra epistolam Michaelis Patriarchæ Constantinopolitani. Idem Theophanes Græcus Historicus, Theodorus Balsamo in interpretatione eorundem Canonum, Matthæus Monachus Græcus in Historia Conciliorum, & virorum Illustrium. Item Iustinianus Imper. eo nomine II. bis Synodum Constantinopoli coëgisse legitur, prius sub Sergio Romano Pontifice, posterius sub Ioánne VII. & de priori quidem Synodo Beda de nat.rer. cap. 67. ait: Iustinianus, Romanæ Ecclesiæ Pontifice Sergio, quia erraticæ suæ Synodo, quam Constantinopoli fecerat, suadere, & subscribere noluisset, iussit Constantinopolim deportari. Qui tamẽ ob culpam perfidię, Regni gloria postea priuatus, exul in Pontum secessit. Idem scribunt Paulus Diaconus,

lib.

lib. de gestis Romanis, in Iustiniano; & Anastasius Bibliothecarius in vita Sergij Pontificis. Insuper Platina in vita Ioannis VII. sic scribit: Iustinianus eadem stultitia vexatus, qua fuerat ante amissum Imperium, Sergio Pontifice, duos Metropolitanos Romam misit, qui Ioannem adhortarentur, vt habita Synodo, quæ de *Homousio* crederent Oriẽtales, eadem etiam Occidentales affirmarent, propositis libellis, in quibus ei subscribẽdum erat. Homines tamen, re infecta, ad Imperatorem Pontifex remisit.

Præterea in can. 2. suscipit, & confirmat huiusmodi Synodus octuaginta quinque Canones Apostolorum. At Sedes Apostolica non tot Canones approbat, vt auctor est Isidorus, cap. Canones, dist. 17. & Leo IX. cap. Clementis, ead. dist. & Gelasius in cap. sancta

Romana, dist. 15. Item huiusmodi Synodus in eodem can. 2. approbat Concilium Cypriani Martyris, de rebaptizandis hæreticis, quasi secundùm traditam Africanis consuetudinem lex illa constituta sit. Sed Cypriani decretum ab vniuersali Ecclesia reprobatum est: Cur igitur in Trullano canone approbatur?

In can. 3. Ecclesiæ Romanæ lex de bigamis non ordinandis, tanquam summum ius, & ex rigore seuerum appellatur.

In can. 13. decernitur, vt Subdiaconi, Diaconi, Presbyteri à suis vxoribus ante sacros Ordines susceptis non separẽtur. Ea consuetudo Græcanica est, non Romana, aut vniuersalis Ecclesiæ.

In can. 36. statuitur, vt Constantinopolitana Sedes æqualia priuilegia cum Apostolica teneat. Aduersus hoc priui-le-

legium pugnauerunt olim Romani Pontifices. Leo I. Pelagius I. Gregorius I. & Nicolaus I. Et quanquam iure, & ratione pugnauerint, conniuentibus tamen postea, & tolerantibus Romanis Pontificibus, Constantinopolitanus Patriarcha post Romanum Pontificem cæteris tribus Patriarchis. Alexandrino, Antiocheno, & Hierosolymitano prę latus est, vt patet ex cap. *Anti qua* de priuilegijs. Huic Constantinopolitanæ tamen, & Græcanicæ ambitioni, & vanitati, noluerunt sequentes Romani Pontifices diutiùs repugnare.

Can. 62. præcipitur, vt in omnibus Quadragenarij ieiunij diebus per Sabbatum, & Dominicam nonæ hostiæ non consecrentur; sed fiat præsanctificatarum sacrificium, vt apud Latinos fieri solet in die

Parasceues. Hic Græcanicus est ritus, non Romanus.

Can. 65. sic habetur: Quoniam intelleximus in Romana Ciuitate in sanctis Quadragesimæ diebus, & in eius Sabbathis ieiunare; preter Ecclesiasticam traditam consuetudinem: S. Synodo visum est, vt in Romanorum Ecclesia, si quis fuerit inuentus Sabbatho ieiunans, Clericus deponatur, Laicus segregetur. Quis Rom. Pontifex ferat hũc canonem æquo animo? Ecclesiasticam appellant cõsuetudinem, quæ apud Græcos viget, non apud Latinos, & tacitè reprobatur vsus Romanorum in Sabbatho Quadragesimæ seruantium ieiunium: & lex Ecclesiæ Romanæ præscribitur sine vllo Pontificis consensu.

Can. 67. sic dicitur. Sacra Scriptura nobis præcipit; vt abstineamus à suffocato, & san-

ſanguine: meritò igitur damnamus eos, qui cuiuſcunque animalis ſanguinem arte aliqua condiunt, & ſic comedunt. Audacter ſanè Græci Latinorum conſuetudinem improbant, & Apoſtolicum præceptum ad breue tempus datum, volunt eſſe perpetuum.

Obiectio prima ex Gratiano. At dicent: Gratianus nomine VI. Synodi Trullanos Canones perpetuò citat, vt conſtat ex cap. placuit, diſt. 16. & cap. Quoniam. diſt. 31. cap. Si quis, diſt. 32. cap. vlt. diſt. 93. cap Iacobus. de conſecr. diſt. 1. cap. dicimus, de conſecrat. diſt. 2. cap. ſi quis Epiſcopus 35. quæſt. 1. S. Synodus ſine dubio Eccleſiaſticam auctoritatem habet. *Reſoluitur.* Reſpondeo, falsò Gratianum prædictos canones citare tanquam canonicos, & Eccleſiaſticos, & à VI. Synodo conſtitutos. Potuit ille quidem horum canonum

auctoritate vti, sed non tanquam Canonica.

Obiectio secunda ex Innocentio III.

Dicent; Innocẽtius tertius, in cap. à multis. de ætat. & qualit. dicit, In VI. Synodo esse decretum, vt si quis eorum, qui ad Clerũ accedunt, nuptiali iure mulieri voluerit copulari, hoc ante Subdiaconatus ordinem faciat. Patet autem, hunc esse sextum Canonem Trullanum.

Resoluitur

Respondeo, Innocentium in hac parte, iuxta vulgi opinionem locutum fuisse: & appellauit Canones Trullanos nomine Sextę Synodi, quia sic vulgariter nominari solent.

Obiectio tertia.

Dicent etiam, quòd Adrianus Papa, in cap. Sextam. dist. 16. & in cap. Sextam de consecrat. dist. 3. prædictos Canones recipit, & approbat.

Resoluitur.

Respondeo non Adrianum Papã, sed Tharasium Patriarcham Constantinopolitanum eos canones recipere, & approbare; vt

vt constat ex Synodo VII. Act. 1. & 2. Adrianus verò Papa refert verba Tharasij, & falsus est Gratianus, dum allegat & accipit ea verba tanquam Adriani Papæ.

De Concilio Constantinopolitano sub Philippico.

ANno 712. excæcatus quidam corporis, & mentis oculis Monothelita Monachus, qui scilicet astronomicis inspectationibus futura prædicere consueuerat, venienti ad se Philippico, teste Theophane, dixit: *Imperium tibi est repositum.* Quibus cùm ille turbaretur, ait Monachus; *Si iubet Deus, tu quamobrē*

Anno 712.

Monachus Monothelita Astronomus Philippico prędicit Imperiū & facit eū iurare, quod deleret VI. Synodum.

tradicis? Hoc autem dico, quia VI. Synodus malè facta est Si ergo imperaueris; hanc proijce, & imperium fiet tibi forte, atque longæuum. Credẽs Philippicus impostoris vanitati, iuramento spopondit, se hoc facturum.

Philipicus Imp. hæreticus.

Factus igitur Imperator, dum ex more, professionem Catholicæ fidei emittere deberet, hæreticam emisit, execratione dignam, quam Constantinus Pontifex, cum Sedis Apostolicæ Concilio respuit. Populus Romanus zelo fidei accensus, nomen, literas, imaginem, figuram eius in nummis suscipere recusauit: nec in Missarum solemnijs nomen eius prolatum est. Cumque ille sex Synodos Oecumenicas in pariete depictas Constantinopoli abradi iussisset, Constantinus Papa contrà, Romę pingi iussit. Missum ab eo ducem,

Pop. Rom. Imp. fidei confessionẽ hæreticam respuit.

ducem, zelo fidei magna pars populi Romani recipere recusauit: inter quem, & alium, qui antea Dux erat, in ipsa vrbe armis concursum est, & cædes factæ. Ex quo habemus, Rempublicam Romanã gubernari his temporibus solitam per Duces ab Imperatore missos: hincque Ducatum Romanum dictum.

Rom. Respubl. tunc per Duces missos ab Imper. gubernabatur.

Philippicus Imperator, vbi sibi Imperium stabilisse visus est, occisis omnibus, qui Iustiniano fauerant, damnandæ Catholicæ fidei in VI. Synodo expositæ, & Monothelitarum hæresi restituendæ, ex promissione, iuramento firmata, animum intendit. Primùm igitur Cyrum Patriarcham depositum, trudit in exilium, reposito in eiusdem locum Ioanne quodam Monothelitarum antesignano. Nam qui in eam promouendus erat Monachus,

Philippicus crudelis, et hæreticus.

Cyrus Patriar. deponitur.

qui Philippico Imperium prædixerat, cæcitate percussus fuerat. Inde indicta Synodo, potius Pseudo Synodo, ex Episcopis dumtaxat Orientis, quam numerosissimam curasse, credibile est, vt cùm deessent cætera omnia: numero saltem vincere videretur, proposita depositionis sententia Episcopis Sextam Synodum non damnantibus. Omnes Episcopi, ne Sedibus caderent, turpissimè cedentes, in Sextæ Synodi damnationis sententiam consenserunt: cui an ceteri interfuerint Patriarchæ, ignoratur, Actis eius, vt execrabilibus, perpetuo anathemati subiectis.

Conciliab. Constantinop. aduersus legitimam VI. Synodum.

Philippicus autem, abrogata Sexta Synodo dum sibi putat parasse Imperium, ab impostore promissum; post vnum tamen annum, & menses sex (vt est apud Diaconum) Im-

Philippicus excæcatus, Imperio priuatur.

pe-

perio, & luce excæcatus, priuatur, creato Imperatore Artemio, à Secretis, vocato Anastasio: qui, vt Catholicus, statim suæ Catholicæ fidei professionem apud Romanum Pontificem per Legatos edidit, magna cum totius Occidentis exultatione: qua accepta, Constantinus Papa Apocrisarium statim mittit Constantinopolim, qui lapsos Episcopos, auctoritate Apostolica Ecclesiæ Catholicæ reconciliaret.

Anast. Imper. Catholicus creatur.

Apocrisarius idem quòd Nuncius, vel Legatus.

De

De Concilio Constantinopolitano sub Copronymo.

Anno 154. ANno 754. alij 755. celebratum est Cõcilium Constantinopolitanum sub Constantino Copronymo. Conuenerũt autem Episcopi 338. qui in templo S. Mariæ Virginis, quod est Blachernis cùm conuenissent, deletis prius, & penitus abrasis, pulcherrimo artificio factis Imaginibus vitæ Domini nostri Iesu Christi, arborum, & animalium formis in earum locum substitutis, nullo præsente Patriarcha Catholico, & in ambonem ipse Imperator Cõstantinus progressus, Constantinum Monachum ex Sylei

Imagines Sanctę è tẽplo delẽtur.

Pa-

Patriarcham ipſe laicus inſtituit, & pronunciat Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ: Inde omnes Sacrarum, & venerandarum Imaginum cultum damnant; S. Germanum Conſtantinopolitanum Patriarcham; Gregorium Cypricum, Ioannem Damaſcenum, & omnes denique Sacrarum Imaginum cultores anathematizant, & Idololatras vocant; Sanctorum quoque Martyrum Reliquias tum igni, tum aquis, tum aliter perdunt, & propoſitis in medio, venerando ligno Crucis, vnà cum diuerſis Dominici corporis, & ſanguinis myſterijs, per ea vniuerſos iureiurando aſtringunt, nūquā ſe diuinas Imagines adoraturos, quin eas potiùs idola vocaturos. Sed alia etiā deteriora addētes, vocant Apoſtolos, Martyres, ſed & ipſam Deiparam Sanctam appel-

Imaginum cultores dā nantur.

SS. Martyrum reliquias variè perdunt hæretici.

pellandam. & nullo modo in-uocandum: Catholicos ipsos vocant Nestorianos, Arianos, Dioscorianos, Eutychianos, atque Seuerianos. Denique, ut nefarium illud Conciliabulum, Septima Synodus Oecumenica diceretur, statuunt. Extat Pseudosynodi definitio integra recitata, in Act. 7. Niceni posterioris Concilij. Hęc ex Theophane, & maximè ex actis S. Stephani, iunioris Martyris.

Copronymus Iconoclasta miserè moritur: seque in ignem damnatũ esse fatetur vel inuitus

Copronimus autem, tanti sceleris auctor, die 14. Sept. anni 775. extinctus est. Sic autem accidit eius miserabilis interitus. Expeditione in Bulgaros parata, anthrace in cruribus diuinitus percussus, & hinc ardentissima febre ductus, Archadiopolim re-iectâ subiectis humero in lectum delatus: & tandem in chelandium deportatus, misera-

rabi-

rabiliter obijt, clamans, & dicens. *Viuens adhuc, igni sum inextinguibili traditus.*

Reprobata fuit hæc Synodus, primùm auctoritate Stephani Papæ, vt testatur Adrianus, in epist. ad Constantinum & Ioannem Augustos: deinde etiam totius Oecumenici Concilij Nicæni II. Act. 3. vnanimi consensu. *Reprobata est hæc Pseudosynodus.*

Hinc vero obserua cum Bellarmino, lib. 1. de Concil. c. 6. hanc Synodum falsò à nonnullis vocari Tertiam Ephesinã; vt à Carranza in sua Summa Conciliorum, in principio VII. Synodi, & à Sixto Senensi, in lib. 5. Bibliotech. Sanctæ annotat, 147. Nam omnes antiqui eam vocant Constantinopolitanam, & idipsũ clarissimè patet ex ipso isto Concilio quod insertum legitur in VII. Synodo, Act. 6. Causa erroris videtur fuisse, quia *Animaduersio ex Bellarmino.*

quia isti prophanæ Synodo præsedit Theodosius Episcopus Ephesinus.

Et quia paulò ante diximus, Ioannem Damascenum odio habitum, quin & persecutum fuisse propter zelum, quem de venerandis sacris Imaginibus habebat, referam hic breuiter, quæ anno Dom. 728. ei obtigerunt.

Leo .n. Imperator Orientis volens ipsum perdere, quia cultus Sacrarum Imaginum erat propugnator acerrimus, talem technam commentus est. Sciebat, illum apud Saracenorum Principem in pretio esse. Itaq. vt per eundem illum perderet, negotium quibusdam dedit, vt scripturæ notas Damasceni assimiles effingerent, scriberentque quasi sua ad Imperatorem Leonem manu, quia Damascenorum vrbs negligenter omninò custodi-

ſtodiretur, atque Agarenorum præſidium exiguum, & infirmum eſſe. Hanc ille al ie na manu ſcripturā nactus, Saraceno miſit. Qui nullam facti defenſionem à Damaſceno audire volens, manum illi præ cidi, eamque in foro ſuſpendi imperauit. Veſpertina hora, vix eandem ſibi remitti impetrauit: quâ acceptâ, ad Oratorium, quod domi habebat, ingreſſus, pronòque omninò corpore ante diuinam Imaginem, quæ Dei Genetricis effigiem gerebat, prouolutus, exciſamque manum priſtinæ ſuæ commiſſuræ admouēs, intimo pectore ingemuit, ac cum lachrymis exclamans, illam ad miſericordiam propenſiſſimam hunc in modum obſecrare cœpit: *Domina, & caſtiſſima mater, quæ Deum meum peperiſti, diuinarum Imaginum cauſa dextera mi-*

Imaginũ Sacrarum ob cultum, manus Damaſc. præciditur. Sed miraculosè à Deipara, cui ſe commendauerat, ei reſtituitur.

bi manus amputata est. Neq. enim te fugit, quid Leonem in furorem coniecerit. Quare quàm celerrimè occurre, & manui meæ medicinā adhibe. Dextera Excelsi, quæ ex te incarnata est, per tuam intercessionem, virtutes multas effecit. Tuo itaque rogatu, meā quoque dexteram, obsecro, sanet, vt tuas, quemadmodum concesseris, Filijque ex te incarnati, laudes modulo concentu, ò Dei Genitrix, litteris consignet, atque Orthodoxo cultui adiumento sit. Potes enim quicquid lubet, vt Dei mater. Hæc Ioannes cum lachrymis dicens, obdormiuit, atque in Somnis Dei Genitricis Imaginem vidit, placidis, & lætis oculis ipsum intuentem, ac dicentem: *Ecce Sanitati restituta est manus tua. Iam ergo sine vlla cunctatione, quemadmodum nunc*

Maria vt Dei mater potest quicquid ei lubet.

pel-

pollicitus es, eam scribam velociter scribentis calamum effice. Experrectus igitur ille, qui sanus fuerat, cùm excisam manum contemplaretur, eamque sanatam conspexisset, spiritu exultauit in Deo salutari suo, atque ipsius Matre. Factum istud aliqui Saraceno retulerunt. Is autem Ioannem integra manu exultantem aspiciens, insontem fuisse agnouit, & pristinæ dignitati restituit: erat enim Cõsiliarius. At ille altiora meditans, gratijs actis, facultatibusque in cognatos, seruos, & egentes distributis, Ierosolymam orationis causa profectus, ad D. Sabę Lauram se contulit, ibique cum Cosma sodali monachum induit. Vide in nostro Breuiario Chronologico sub annũ Dom. 728.

Damasceno gradũ pristinum à Saraceno restituitur.

De

De Concilio Nicæno Secundo, seu de Septima Synodo.

Anno 782.

ANno 782. alij 781, alij 786. celebratum est Concilium Generale Oecumenicum, quod VII. Synodus & Nicæna II. dicitur; illuc enim conuenerunt vndique Bithyniæ Episcopi cum Legatis Orientalium Patriarcharum, & Adriani Romani Pontificis Petro primo Presbytero, & Petro Monacho Præfecto, ad celebrandum Concilium. Numerus Episcoporum, vt Psellus habet, fuit 350. è quibus Patriarcha vnus fuit Tharasius Constantinopolitanus. Hi ergo omnes eos damnarunt,

Rom. Pōt. Legati ad Cōciliū.

Concilÿ Acta.

qui

qui Sacras Christi, & Sanctorum Imagines omni honore spoliabant. Sed digna sunt, quę de hac re in Act. 2. dicuntur vt hic breuiter ponantur.

Apostolicas autē, inquiunt traditiones, quibus veneratio, culturaque Sanctorum docetur recipimus, & veneramur. Eos autem, & ministros, amicos, & filios Dei existētes, honoramur. Honor enim, qui à conseruis idem sentientibus inuicem exhibetur, indicium est beneuolentiæ erga Dominū. Sunt enim prōptuaria Dei, & pura Christi habitacula, Spiritusq. sancti immaculata Specula. Sancti enim in Dei manu sūnt, ob idque pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius. Seruator noster Christus fontes salutares, Sanctorum reliquias nobis reliquit, multis modis beneficia fundentes.

Traditiones Apostolicæ recipiūtur.

Sancti, vt filii Dei coluntur.

Sācti honorantur, & quare.

Reliquæ Sanctorū virtutē pollentes.

tes Martyrum enim ossa virtutes multas operantur, atque id per Christum qui in ipsis inhabitat, &c.

Templi parietes historiis Sacris ornandi sunt.

Decernunt quoque huius Concilij Patres, templa non nugacibus, & vanis picturis ornanda esse, sed historijs veteris, & Noui Testamenti parietes Templi replere conuenit, vt qui literas non norunt, nec sacram Scripturam legere queunt, contemplatione picturæ in memoriam reducant quinã germanè verò illi Deo per fortia facta seruierunt: atque in certamen excitentur laudatorum facinorum, per quæ cum Cœlo, terram commutarunt.

Cruci an debeatur cultus latriæ.

In eo Concilio definitum est, Cruci non deberi cultum latriæ, sed minorem. Et tamen S. Thomas, 3. par. quæst. 25. docet, Crucem, & Imaginem Christi colendam esse cultu la-

latriæ. Sed dicendum est, Concilium negasse Cruci, & Imagini cultum latriæ, eum videlicet, qui tribuitur alicui propter ipsum, qui soli Deo defertur propter diuinitatem eius. Sanctus Thomas verò tribuit Cruci, & Imagini Christi eam latriam, quæ scilicet datur alicui propter aliud, non propter se; nimirùm propter id, quod repræsẽtatur in ipsa; qua ratione coluntur latriæ alia præter Deum, Natura scilicet humana à Verbo diuino assumpta; & species panis, & vini consecratæ in altari. S. Thomas interpretatur.

In eodem Concilio recitatum est pariter Symbolum Catholicum; vbi cùm ad Spiritus Sancti confessionem ventum esset, his est ipsis verbis expressa: *Et in Spiritũ Sãctũ Dominũ, & viuificantẽ: qui ex Patre, Filioque procedit. Qui cũ Patre, & Filio simul* Recitatur Symbolum cum additione particulæ: si Patre, filioq. procedit.

I *ado-*

adoratur & conglorificatur.

Lecta septimi Generalis Concilii definitione; Latini quendam vetustissimum librũ in medium attulere; in quo quidem eadem ipsa definitio, Sanctumque Spiritum ex Patre, Filioque procedere, scriptum erat. Vide Baron. anno 787. Ibidem etiam præter Catholicæ fidei decretum, ab eadem Sacrosancta Synodo Canones Sanciti sunt 22. quorum tertius est: quòd non oporteat Principes eligere Episcopos. Vide in nostra Summa Conciliorum.

Principes Episcopos non eligãt.

Sciendum autem, quòd in hac Synodo tres Episcopi affuerunt hæretici, qui in adulterino Cõcilio Constantinopolitano sub Copronymo Imagines dãnauerãt, qui tamẽ errorem abiurarunt, & vnusquisq. confessionem Catholicam, abiurationem erroris continentem

Episcopi hæretici qui aduersus imagines decreuerũt in Concilio Constantinop. abiurant, fideique Catholicæ confessionem faciunt.

tem, Patribus præsentarunt. Primus fuit Basilius Anciræ. Secundus, Theodorus Myron, Tertius Episcopus Amorii. Hos postea secuti sunt, & imitati septem alii qui prædictorum trium Episcoporum confessioni subscripserunt. Qui omnes se imperitia errasse cõfessi sunt, & ignorantia; & propterea se velle secundum fidem à Sanctis Apostolis traditam viuere, & recipi. Horũ nomina sunt, Hypatius Nicęnę, Leo Rhodi, Gregorius Pissidiæ, Gregorius alter Pessunton, Leo alter Iconii, Nicolaus Hieropoleos, & Leo alter.

At notanda sunt verba Gregorij Episcopi Pessunton, qui inter cætera hæc dixit: *In Antiochena Synodo Sanctorũ Apostolorum dictum est, Senatus non debere amplius ad idola aberrare: sed certandum esse ante columnam Dei,* *Ab Apostolis pro SS. Imaginum cultu Synodũ Antiochiæ celebratur.*

hominisque Iesu Christi Domini nostri. Per quæ verba habemus, quòd ab Apostolis Synodus in Antiochia pro Imaginibus celebrata sit. In qua Canon pro Imaginum cultu, qui est VIII. sic habet. *Ne decipiantur saluati, ob idola, sed pingant ex opposito diuinam, humanamq. manu factam, impermixtam effigiem Dei veri, ac Saluatoris nostri Iesu Christi, ipsiusque seruorum, contra Idola, & Iudaos, Neque errent in Idolis, neque similes fiant Iudaeis*. Vide quæ de hac re diximus supra in Concilio Antiocheno sub anno 341. versus finem. Et latè in nostra Summa Conciliorum sub anno 54.

Canon Apostolorum pro Imaginibus.

De

De Concilio Francofordiensi.

ANno 794. celebratum est Concilium Francofordiense, iuxta Rheginonẽ, lib. 2. Adriano I. Pontifice, & Carolo Magno Francorum Rege. Quod quidem alij Prouinciale, alij Oecumenicam Synodum fuisse scribunt. Ex eo .n. quòd Legati Sedis Apostolicę, teste Adone in Chronico, Concilio interfuerunt: quodque Carolus Rex generalem Synodum cõuocari petiuerit, existimatum est, hunc Francofordiensem Conuentum, vniuersale Concilium fuisse. Bellarminus, lib. 1. dé Concilijs putat eum fuisse Oecumenicum, sed ex parte reprobatum, quia Nicænam II. Synodum

Anno 794.

Concilium Francofordiense alij Prouinciale, alij Oecumenicũ fuisse dicunt.

nodum ausum sit condemnare: & idem sentit Baronius sub anno 794. Binius è contra affirmat, ipsum fuisse Prouinciale, & quod Acta Conc. Nicæni II. in eo approbata fuerint: pluresque pro se citat Auctores, Alan. dial. 4. c. 18. & 19. & dialog. 5. c. 12. & 13. Sander. lib. de Imaginibus, c. 5. & lib. 7. de visibili Monarchia, num. 619. Sur. in Præfat. huius Concilij. Vasquez, lib. 2. de adorat. Imaginum disp. 7. cap. 5. Suarez tom. 1. par. 3. disp. 54. Sect. 3. Et propterea obiectionibus omnibus satisfacit. Nec quia in eo Legati Summi Pontificis interfuerint, ex eo præcipuè Oecumenica censeri debet hæc Synodus: siquidem Alexandrinis, & Toletanis Concilijs pluribus interfuerunt Legati Sedis Apostolicæ, quę tamen nullo vnquam tempore Vniuersalia,

Legati Pōtificis in Cōcilio nō sēper docent ipsum esse Oecumenicum.

falia, & Oecumenica habita fuere. Si qui Legati Romani Pontificis Concilio interfuerunt, illi non ad præsidendum, sed tantum ad insinuandum, Acta Concilij, Roma ablegati fuisse videntur. Nos in nostra Summa Conciliorum hanc secundam sententiam tanquam probabiliorem secuti sumus.

Causa celebrandi Concilium

Causam celebrandi Concilij in Germania præbuit Elipandus Toletanæ Ecclesiæ Archiepiscopus; qui cùm audiuisset, Fœlicem Vrgelitanum Episcopum in Concilio Ratisbonensi conuictum, & damnatum fuisse; eundemque apud Sedem Apostolicam post agnitionem erroris, & hæresis detestationem, ad Ecclesiam, & Sedem pristinam receptum esse, non destitit acerrimus hæreseos suæ defensor, & propagator, neque priùs quieuit,

quàm Fœlicem ad Orthodoxos reuersum, ad castra impietatis reuocasset. Imò scriptis ad Carolum magnum literis priuatis & ad vniuersos Galliæ, & Germaniæ Episcopos patentibus, & publicis, intrepidè hoc egit, vt cũ Rege totam Germaniam, & Galliã in suam sentẽtiã pertraheret. Itaque cum hac ratione Fœlicem, verè infœlicem instar canis ad vomitum, & lotæ suis ad volutabrũ luti reduxisset, ne malum longius serperet, infusumq. venenum sana membra inficeret, opus erat, vt vterque ad plenarium iudicium citaretur. Quo facto damnatus est vterque.

Elipandus Toletanus Episcopus Fœlicem Vrgelitanum Episcopum ab errore ad veram fidem reuersum iterũ redire ad vomitum curat, & ad votum ei accidit.

Elipãdus, & Fœlix damnatur

De

De Concilio Constantinopolitano IV.

Anno 869.

ANno 869. celebratum est Octauum Concilium Generale, & fuit Constantinopolitanum IV. Pro quo sciendum, anno salutis 860. Constantinopoli ortam esse inter ciues grauissimam seditionem, alijs Ignatium Patriarcham, alijs Photium tuentibus. Michael eo nomine III. Porphirogenitus Imperator Constantinopolitanus Legatos, & literas ad Pontificem Romanum Nicolaum I. misit, quibus, accusato Ignatio, petijt, vt Pontifex Legatos suos ad se destinaret, quorum opera seditio sedaretur. Addidere etiam Legati, hæresim Iconomachorum recruduisse, &

Ignatio Patriarcha amoto Constantinopoli seditio orta est.

Imperator Legatus ad Pontificē mittit.

Sanctas Imagines passim in Ciuitate delere. Nicolaus itaque, vt tantis Ecclesiæ vulneribus, malisque mederetur, Episcopos duos, Rodoaldum Portuensem, & Zachariam Anagninum legauit, datis in mandatis, vt causas cur Ignatius esset sua Sede deiectus, cognoscerent, & cum Photio, tanquam cum laico versarentur; eiusque reprobata electione, Sanctarum Imaginum cultum retinendum omnino curarent. Per eosdem etiam Legatos postulauit, vt Calabriæ & Siciliç Patrimonia Romana Ecclesiæ redderentur. Datæ extant literæ 7. Kal. Octobr. Indictione 9. his verbis; *Præterea Calabritanum Patrimonium, & Siculum, quæque nostræ Ecclesiæ concessa fuerunt, & ea possidenda obtinuit, & disponenda per suos familiares regere studuit*

Nicolaus Papa ad Imperatorem Legatos quos postularat misit.

Calabria, & Sicilia S. Romanæ Ecclesiæ Patrimonium.

studuit, concessionibus reddantur: quoniam irrationabile est, vt Ecclesiastica possessio, vnde luminaria & concinnationes Ecclesiæ Dei fieri debent, terrena quauis potestate subtrahatur: Sed Domui Dei restituta, meritum reddituris multiplicent, & suscipientis votum spiritalis desiderij lucris exerceatur.

Legati Pontificis proximo anno Constantinopolim profecti, pecuniis & muneribus corrupti, mandata eius transgressi sunt. Nam qui Ignatij caussam cognoscere tantummodo iussi fuerant, iudicio suo interposito, Ignatium iure abdicatum, & Photium ritè substitutum dixere. Biennio post elapso, Leo Legatus Imperatoris Vrbem adueniēs, duo volumina Pōtifici reddidit: vnum, in quo continebantur acta abdicationis Ignatii: al-

Legati Pontificis eius mandata transgrediuntur.

Photio à piorum communione submoto; & Ignatio in pristinum honoris gradum, & locum restituto.

Redditus est item sanctis Imaginibus antiquus honos, & cultus: confirmatæ, etiam septem præcedentes Synodi generales. Statutum quoque est, vt consecrationes, & promotiones Episcoporum, Clericorum electione, & decreto fierent: neue Laici Principes, aut Potentes semetipsos immiscerent electioni, vel pro mo.ioni Patriarchæ, aut Metropolitani, aut Episcopi, aut Abbatis. *Ex quibus patet, octo Concilia Generalia in Oriente celebrata, agnouisse semper Romani Pontificis auctoritatem, hoc est, Primatum eius super omnes Ecclesias.*

Octo generalia Concilio Orientalia cognoscũt primatum Pontificis Romani super omnes Ecclesias.

Ex hoc itidem tempore, Photij suasu, & opera, Græci cœperunt manifestè contra

Initium Schismatis Ecclesiæ Orientalis à Romana.

tra Primatum Romani Pontificis sentire, & docere. Cœperunt quoque Latinos odio capitali prosequi, & tanquam anathemate percussos deuitare; eo quòd addidissent Symbolo Nicæno, & Constantinopolitano: *Filioque procedentem*: quare palàm Græci se se à Romanis, & Latinis diuiserunt. Vnde amplius non sunt celebrata Concilia Generalia in Oriĕte: quotquot deinceps conuocata, & habita Concilia sunt, in Occidente celebrata fuerunt ex Episcopis, & Abbatibus Occidentalibus, prçterquam ea, in quibus Grçci, & Orientales se se iterum cum Romana Ecclesia coniunxerunt.

Ex tunc generalia Cōcilia in Oriente nō sunt celebrata, sed in Occidente.

Est autem hoc loco cum Bellarmino animaduertĕdum tres Synodos in causa Photij Constantinopoli celebratas, Vna tempore Nicolai I. Pon-

Animaduersio ex Bellarmino, tres Synodes in causa Photij celebratas fuisse.

Pontificis, & Michaelis Imperatoris celebrata est, in qua depositus fuit Ignatius, & ordinatus Photius; cuius Synodi meminit Zonaras in vita Michaelis; nec est dubium, hanc fuisse profanam Synodum; vt patet ex epistolis Nicolai I. & Adriani, II.

Altera Synodus est ea, quã nos diximus VIII. quæ extat, quampis imperfecta, in tomis Conciliorum: in qua, deposito Photio, iterum restitutus est Ignatius, atque huius Synodi meminit Zonaras in vita Basilij Imperatoris.

Tertia est ea, quam tempore eiusdem Basilij celebrauit per Legatos suos Ioannes VIII. Adriani successor, in qua Synodo, defuncto Ignatio, iterum restitutus est Photius: & si vera sunt, quæ Græci dicunt in Concilio Florentino, sess. 6. & quæ refert ex

De Concilio Lateranensi I.

ANno 1123. celebratum est Concilium Generale apud Lateranum auctoritate Callixti Papæ: cui interfuere mille ferè Patres, hoc est Episcopi, & Abbates. Gratiæ sunt in eo actæ Deo de concordia inter Pontificem, & Imperatorem. Nam Henricus IV. qui successerat patri Henrico tertio conquerebatur, quòd cùm pater suus conferret Episcopis & Abbatibus Annulum, & Baculum, aliaque insignia Pontificia, tale ius esset sibi ademptũm. Vnde per Legatos monuit Paschalem de suo in Vrbem futuro aduentu, vt in Concilio generali suam causam ageret, & ius suum tuc- *Anno 1123.* *Acta Concilij.* *Breuis historia de causa inimicitiæ Imperatoris cũ Pap*

retur,

retur. Et vbi dies profectionis aduenit, exercitum triginta millium hominum coegit, & Alpes superauit. Aretium perueniens, Legatos ad Pontificem misit, per quos se in ipsius auctoritate futurum ostendit, si ad coronam Imperialem admitteretur. Res in Porticu sancti Patri sub certis conditionibus composita est; obsidibus vtrinque datis. Hæc ita vtrinque conscripta, Legati Imperatorij, vna cum Pontificijs ad Henricum detulerunt: eaque recitata, Henricus iureiurando confirmauit.

Henricus Romam versus iter intendit. His actis, Henricus Romã versus iter intendit, & 3. Idus Febr. in quodam monte Vrbi vicino consedit. Ibi à Romanis rogatus, vt honorem, ac libertatem Vrbis se seruaturum, sacramento iuraret, Ille Germanica lingua, non

quod

quod Romani petebant, sed quod ipse voluit, iurauit. Qua fraude cognita, Romani se deceptos fuisse clamantes, redierunt in Vrbem.

Iterum obsidibus datis, & acceptis, supráscripta omnia rursus Henricus, Sacramento interposito, confirmauit; nimirum se vitam Pontificis, membra, honorem, libertatē, regalia, Patrimonium Sancti Petri, & nominatim Apuliam, Calabriam, Siciliam, Capuanumque Principatum conseruaturum; atque omne ius Ecclesiarum, omnesque eorum res dimissurum.

Postridie ingrediens Vrbem, ab omnibus cum floribus, palmis, & arborum ramis, à Pontifice honoris causa obuiam missis, exceptus, duobus de more Sacramentis se se populo obstrinxit. Post ab vniuerso Clero, iussu Pontifi-

Honorius Vrbem ingredius læ- tanter accipitur.

cis exceptus, ex equo desilijt, ac pedibus ad Vaticanæ Basilicæ gradus, cum populi acclamationibus peruenit. Vbi verò ad superiores gradus cōscendit, in quibus Pontifex cum Cardinalibus, & tota Cātorum schola sedebat, ad eius pedes se venerabūdus proiecit. Deinde surgens, nomine Trinitatis in ore, fronte, & oculis pacis osculum Pontifici obtulit, & de more partes stratoris impleuit. Indè ad dexteram Pontificem habens, magno populi applausu ad postes argenteos pedes processit. Ibi à Chrysolao Archiepiscopo Mediolanēsi de more, Pontifici oblatus, Imperatoriam ex scripto professionem emisit; & eum Pontifex Imperatorem renunciauit.

Henricus ad pedes Pontificis prouolui tur.

Introductus inde in ædem, cùm insedisset iuxta Pontificem, rogatus est ab eo, vt pro

missum

missum impleret, nimirum deponeret priuilegium, siue ius, quod dicebat, se habere de conferendis Ecclesijs: nam se paratum esse, quæ spoponderat, seruare, dixit Pontifex. Tunc Henricus petiit à Pontifice, vt illos confirmaret, quibus ipse Sedes Episcopales dederat, licèt antea, Sacramento interposito, iurasset, se nunquam id à Pontifice petiturum: Paschalem verò id facere recusantē, intromissis militibus, dato signo, vnà cum Cardinalibus cœpit. Capta est cum Pontifice Clericorum, & laicorum ingens multitudo: pueri item, ac iuuenes, virique, qui cum floribus, ac palmis obuiam Henrico processerant, aut spoliati, aut vincti, aut cæsi sunt.

Negotia inter Henricum, & Pontificē.

Paschalis Papa simul cum Cardinalibus ligatur, & carceri mancipantur.

Post biduum Henricus castra mouit; Pontificem, quem aduocatis militibus, sacris

Pontifex Clerus, & reliqui captiui ducuntur.

vesti-

vestibus nudauerat, & Clericos, laicosque captiuos, funibus vinctos secum adduxit in montem Soractem. Ibi promisit, se captiuos omnes liberaturum, si Pontifex postulata concederet. Idq; per Principes suos, ciuesque Romanos à Pontifice constanter petijt.

Principes Regis & Episcopi Germani suadet Pontifici vt Henrico postulata concedat.

Quidam Germani Præsules Pontificem adeuntes, ita locuti sunt: *Oratum te precibus omnium volumus, Summe Pontifex, vt des te ad lenitatem, ac Regi nostro placere velis, eiusque consecrationem absoluas, vt ipse tibi, Clero, & Ciuitati tuæ placetur: atque Ecclesiam post hæc omni suo studio complectatur.*

Pontifex renuit eũ consecrare

Quibus Pontifex: *Quid est, quod à me requiritis Fratres? An vos hominem tam iniquũ, tam fraudulẽtũ, tam facinorosum à nobis consecrandum censetis? Ritè scilicet expiauit*

ma-

manus suae ad percipiendam consecrationem, qui aras Dei perfudit cruore Sacerdotum, & domum sanctificationis cruentauit sanguine interfectorum? Ne permittat Deus, vt ego hunc hominem consecrem, qui seipsum tantis flagitijs reddidit execrandum. Subijcientibus illis, dignitati Pontificiæ, & eorum, qui capti erant incolumitati conducere, vt Regis iracundiam mitigaret; constanter respondit: *Regem vestrum non metuo: sæuiat in caput meum, si audet: neque enim durius in me consulere potest: Vos autem caute, existimantes, qua ille seueritate in Christo, & populo trucidando modò est vsus, eadem in tota vita sua vsurum. Neque enim videbit pacem, dum viuet, nec stirpem vllam Regni relinquet.* Pontifici constātia.

Quibus verbis vehementer

Hen-

Henricus excanduit, &, vt eũ de proposita sententia dimoueret, captiuos omnes in conspectum eius produci ad necem iussit. Pontifex tanta animi fortitudine fuit, vt nihil permotus, singulos ad mortem pro diuino iure oppetendam hortatus sit, vitamque eis æternam promisit. Cæterùm captiui omnes prouidè ad pedes Pontificis se se prouoluentes, vltimi auocationem supplicij humiliter obsecrarunt. Tandem Pontifex doloris, & lachrymarum plenus dixit, se eo animo esse, vt si sibi subeũda necessitas sit, malit omnia acerba pati, quàm de sententia cedere. Verùm, quod sua causa non faceret, id aliena esse facturum, idest captiuorum seruandorum gratia de suo proposito decessurum, & Henrico obsecuturum. Composita res est. Henricus iura-

uit se Pontificem, Cardinales, & omnes captiuos dimissurum: & Pontifex se Henrico priuilegium daturum, vt Episcopatus, & Abbatias conferret. Quæ omnia præstitit.

Priuilegiũ Hẽrico datum à Cõcilio Latheranensi reuocatur, et annullatur.

Cùm autem in alio Lateranensi Concilio anno 1112. celebrato, quæreretur Cardinales, quòd talia fecisset. Respondit Pontifex, se quod fecisset, necessitate compulsum fecisse. Quo responso, cuncti ex scripto sic pronunciarunt. *Priuilegium pro liberatione captiuorum Ecclesiæ à Paschali Pontifice, vi per Henricum Regem extortum, omnes in hoc sancto Concilio congregati, legitima censura, & auctoritate Ecclesiastica, iudicio Sãcti Spiritus, condemnamus, & irritum esse iudicamus, eo nomine, quòd in eo scriptum est, iure electum Episcopum, vel Abbatem a nemine conse-*

crandum, nisi priùs à Rege inuestiatur. Quod est contra Canones, & Iura.

Pontifex ipse anuullat priuilegium.

Idemque Pontifex in alio Concilio Lateranensi anno 1116. datum priuilegium annullauit his verbis: *Posquam Dominus me in manus Regis tradidit, videbã quotidie fieri rapinas, incendia, adulteria, cædes: eaque ab Ecclesia Dei auertere cupiebam: itaque quæ Henrico tribui, pro liberando Dei populo tribui: Iniquum priuilegium, quod in castris Hẽrici scripsi, tanquã irritũ, perpetuo anathemate damno.* Vniuersi responderũt. *Ita cuncti damnamus.*

Hencicus ipse tale priuilegiũ refutat, & sa pacificat cum Papa.

Anno postea 1122. ipsemet Henricus, 9. Kal. Octobris, omni suo iuri, & priuilegio de Ecclesijs conferendis, cessit sub Calixto II. Et hæc est pax, pro qua in hoc Oecumenico Concilio Deo gratiæ aguntur. *Hu-*

Huius autem Concilij Canones summatim hæc sunt.

1 NE quis per pecuniam ordinetur. Qui verò aliter ordinatus fuerit, acquisita prorsus careat dignitate.

2 Nullus in Præpositum, nullus in Archipresbyterum, nullus in Decanum, nisi Presbyter; nullus in Archidiaconum, nisi Diaconus ordinetur.

3 Presbyteris, Diaconibus, & Subdiaconibus concubinarum, & vxorum contubernia penitus interdicuntur: & similiter aliarum mulierum cohabitationẽ, exceptis matre, sorore, amita, vel matertera, aut alijs huiusmodi, de quibus nulla valeat iuste suspicio oriri.

4 Laici, nullam de Eccle-

ſiaſticis rebus aliquid diſponendi habeant facultatem, ſed omnium negotiorum Eccleſiaſticorum curam Epiſcopus habeat, & ea, velut Deo contemplante, diſpenſet.

5 Conſanguineorum coniunctiones fieri prohibentur.

6 Ordinationes, quæ à Burdino hæreſiarcha (*fuit iſte Antipapa*) poſtquam à Romana Eccleſia eſt damnatus, quæque à Pſeudoepiſcopis per eum poſtea ordinatis factæ ſunt, irritas eſſe decernuntur.

7 Cura, & rerum Eccleſiaſticarum diſpenſatio, in Epiſcopi iudicio, & poteſtate permaneat. Qui ſecus faxit, à liminibus Eccleſiæ arceatur.

8 Ne quis ſub anathemate Beneuentanam Beati Petri ciui-

ciuitatẽ præsumat inuadere, aut violenter retinere.

9 A suis Episcopis excommunicati, ab alijs Episcopis, & Abbatibus, & Clericis in communionem recipi prohibentur.

10 Nullus in Episcopum, nisi Canonicè electum, ad consecrandum manus immittat.

11 Ierosolymam proficiscentibus ad Christianos defendendos, suorum peccatorum remissio conceditur: domusque, & familia, atq; omnia eorum bona in B. Petri, & Romanę Ecclesiæ protectione suscipiuntur.

12 Porticanorum absq. hæredibus morientium bona, contra eorum deliberationem minimè peruadantur.

13 Ne tregua distringetur.

14 Oblationes Altaris Sancti Petri, & Saluatoris, &

ſanĉte Mariæ Rotundæ, ac de alijs omnium Eccleſiarum altaribus, ſiuè Crucibus, à laicis auferri, penitus interdicitur.

15 Monetam falſam faciens, aut ſtudioſè expendens, à fidelium conſortio ſeparetur:

16 Romipetas, & Peregrinos inuadentes, communione abſtineant Chriſtiana. *Extat etiam pro hoc Bulla in cæna Domini.*

17 Abbatibus, & Monachis plura, quàm pertinent ad Epiſcopum, interdicuntur. Ea ſunt, publicas pœnitentias dare, infirmos viſitare, vnĉtiones facere: Miſſas publicas cantare, Chriſma, & Oleum, Conſecrationes Altarium, Ordinationes Clericorum, &c.

18 In Parochialibus Eccleſijs Presbyteri per Epiſcopos

pos constituantur. Hi autem decimas, & Ecclesias à Laicis non suscipiant absq. consensu, & voluntate Episcoporum:

19 *Nihil in hoc canone est pracisè vetitum.*

20 Ecclesias cum bonis suis, tam personis, quàm possessionibus, clericos videlicet, ac Monachos, eorumque Conuersos, Oratores quoq. cum suis rebus, quas ferunt, tutos, & sine molestia esse, statuitur.

21 Presbyteris, Diaconibus, Subdiaconibus, & Monachis concubinas habere, seu matrimonia contrahere, penitus interdicitur; Contracta verò matrimonia ab huiusmodi personis, irrita esse decernitur.

22 Alienationes rerum Ecclesiasticarum penitus interdicuntur.

De Concilio Lateranensi II.

Anno 1139

ANno 1139. Pontifex Innocentius, tum ad hæreses damnandas, tum ad schismaticos reprimendos, ac deprauatos mores corrigendos, vniuersale Concilium Romæ indixit; conuocatis ex vniuersis Christiani Orbis partibus Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, & aliarum Ecclesiarum Prælatis ad numerum mille.

Acta Concilij.

Et quia ijs temporibus non schismaticorum tantum factionibus Dei Ecclesia perturbabatur, sed hæreticorum etiam nouis, ac diuersis dogmatibus oppugnabatur: ideo in hoc Lateranensi Concilio primò hæretici damnantur. Et inter

Hæretici damnantur.

inter cęteros Petrus de Bruis, cuius hæreſes ſunt ſequentes.

1. NEgat, paruulos infra intelligibilem ætatē conſtitutos, Chriſti baptiſmate poſſe ſaluari: nec alienam fidem poſſe illis prodeſſe, qui ſua vti non poſſunt.

2 Templorum, vel Eccleſiarum fabricam fieri non debere: factas inſuper ſubrui oportere: nec eſſe neceſſaria Chriſtianis ſacra loca ad orandum.

3 Cruces ſacras confringi præcipit, & ſuccendi: quia ſpecies illa, vel inſtrumentum, quo Chriſtus tam dirè tortus, tam crudeliter occiſus eſt, non adoratione, non veneratione, vel aliqua ſupplicatione digna eſt: ſed ad vltionem tormentorum, & mortis eius, om-

ni dedecore dehoneſtanda, gladijs concidenda, ignibus ſuccendenda eſt.

4 Non ſolum veritatem corporis, & ſanguinis Domini quotidie, & aſſiduè per Sacramentum in Eccleſia oblatum negat; ſed omninò illud nihil eſſe, neque Deo offerri debere decernit.

5 Sacrificia, oblationes, eleemoſynas, & reliqua bona pro defunctis fidelibus à viuis fidelibus facta, deridet; nec ea quempiam mortuorum, vel in modico poſſe iuuare affirmat.

Narrat etiam Petrus Cluniacenſis, iure hunc hæreticum concrematum; cùm antea impius iſte Cruces Dominicas in vnum congeſtas concremauerit. Cuius etiam impias hęręſes ſecuti ſunt pœnè omnes, qui

poſt

post illum fuerunt hæretici: vt meritò hæreticorum parens dici possit.

Quin etiam Arnaldus de Brixia illius sectatus est errores. De quo Otho Frisingensis hæc scribit: Is studiosè è Gallijs in Italiam reuertens, religiosum habitum, quo amplius decipere posset, induit: omnia lacerans, omnia rodēs, nemini parcens: Clericorum, & Episcoporum derogator: Monachorum persecutor: Laicis tantum adulans. Dicebat enim, nec Clericos proprietatem; nec Episcopos regalia: nec Monachos possessiones habentes, aliqua ratione posse saluari: cunctaque hæc Principis esse, ab eiusque beneficentia in vsum tantum Laicorum cedere oportere. Præter hæc, de Sacramento Altaris, de Baptismo paruulorum, non sanè dicitur sēsisse. Hęc Otho. *Arnaldi à Brixia hæresis.*

Causa conuocãdi Cõcilij.

Quare Innocentius Pontifex, tum ad hæreses damnandas, tum ad schismaticos reprimendos, ac deprauatos mores corrigendos, prædecessorum Sanctorum Pontificum exempla secutus; vniuersale Romæ indixit Concilium: & conuocatis, ex vniuersis Christiani Orbis partibus Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, & aliarum Ecclesiarum Prælatis, mille circiter conuenere, & in Lateranensi Ecclesia illud celebrandum curauit.

Patres qui ad hoc Cõcilium conuenerunt.

In quo hæretici damnati sunt: & inter cæteros Arnaldus de Brixia, qui tum in Vrbe degebat. Et Petrus de Bruis, de quibus supra & alij. Item Petri Leonis, aliorumq. schismaticorum Acta rescinduntur; & ad pristinam Ecclesiasticam disciplinam restituẽdam, aliqua statuuntur Decreta, prout sequitur:

Cõcilij Acta.

Canones huius Concilij summatim sunt sequentes.

Concilio Canones.

1 NE quis simoniacè ordinetur.

2 Si quis dignitatem Ecclesiasticam, seu quodlibet Sacramentum Ecclesiasticum, vtpote Chrisma, vel Oleum Sanctum, Consecrationes Altarium, vel Ecclesiarum, mediante auaritia, per pecuniam acquisierit, honore acquisito careat, & emptor, atque venditor, & interuentor, nota infamiæ percellantur.

3 A suis Episcopis excommunicati, ab alijs suscipi prohibentur. Qui verò excommunicato scienter communicauerit, pari sententiæ teneatur obnoxius.

4 Episcopi, & Clerici in statu mensæ, & in habitu

cor-

corporis, prout decet, ſanctitatem præſeferant.

5 Epiſcoporum decedentium bona à nullo hominũ diripiantur, ſed ad opus Eccleſiæ, & ſucceſſoris ſui, in libera Oeconomi, & Clericorum permaneant poteſtate. Qui ſecus faxit, excommunicentur.

6 Qui in ordine ſubdiaconatus, & ſupra, vxores duxerint, aut concubinas habuerint, officio, atque Eccleſiaſtico Beneficio careant.

7 Nullus Miſſas præfatorum audiat, quos vxores, vel concubinas habere cognouerint.

8 Idipſum quoque de Sanctimonialibus feminis, ſi, quod abſit, nubere attentauerint, obſeruari ſtatuunt.

9 Monachi, & Regulares Canonici poſt ſuſceptum habitum

bitum, & professionem, leges temporales, & Medicinam, gratia lucri temporalis, non addiscant.

10 Decimas Ecclesiarum, quas in vsu pietatis concessas esse, Canonica demonstrat auctoritas, à Laicis possideri, Apostolica auctoritate prohibetur.

11 Omnia bona Presbyterorum, Clericorum, & Monachorum, omni tempore secura sint.

12 Tregua ab omnibus seruetur.

13 Fœneratorum rapacitas damnatur. Et nisi tales resipiscant, Christiana sepultura priuentur.

17 Duella omninò fieri interdicuntur. *Extat modò decretum Concil. Trid. sess. 25. cap. 19. vbi quatuor statuit. 1. Excommunicat omnes Imperat. Reges, Mar-* *Duellum interdicitur, hic & à Concil. Trid. & à Clem. 8.*

chiones,

chiones, Duces, & Dominos, qui in suis Terris facultatem faciunt duelli. 2. *Excommunicat ipso iure patrinos*. 3. *Ipsos pugnantes: & in pugna occisos, priuat Ecclesiastica sepultura*. 4. *Spectatores omnes etiam excommunicat. Et vltimò, extat* Constitutio *Clem*. 8. *publicata Romæ die* 2. *Sept.* 1592. *quæ incipit; Illius vices*.

Cap. siquis suadente. 17. q. 4.

15 Item placuit, vt si quis suadente Diabolo huius sacrilegij reatũ incurrerit, quòd in Clericum, vel in Monachum violentas manus iniecerit, anathematis vinculo subiaceat: & nullus Episcoporum illum præsumat absoluere, nisi mortis vrgente periculo, donec Apostolico conspectui præsentetur, & eius mandatum suscipiat.

Præ-

Hic autem animaduerte, quòd Canon iste generalis est ad vtrumque sexum, quamuis dicatur, Si quis, vt notat ibi Gloſ. & probatur ex cap. mulieres. extr. de ſent. excom, *Cap. ſi quis Suad breuis explicatio.*

Quatuor autem in hoc Canone ponuntur neceſſaria, vt talis excomm. contrahatur.

Primò, vt ſit manuum iniectio: & per manuum iniectionem intelligitur quicumque effectus violentus in perſonam, vel in adhærentia perſonæ. vt ſi quis aquam proijciat, vel puluerem, vel ſaliuam, per modum iniuriæ. Imò, tentio violenta ſine vlla læſione eſt iniectio manuum, vt habetur in cap. nuper. de ſent. excommunicat. Et idem dicendum de his, qui eripiunt è manibus, aut corpore aliquid vi, aut ad frænos equi manus admouent, aut abſcindunt cingulum ephippij: aut eum ita *Manuũ violenta iniectio, multiplex*

ita furiosè persequuntur, vt cogant se praecipitare in flumen, aut aliud discrimen ad se liberandum pati, secundum communem text. Nau. in Manuali. cap. 27. num. 77. per text. in d. cap. nuper. §. nos igitur. de sent. excom.

2. *Debet esse violenta, ad excludendū casum: nã quãdo est casualis, etiam si sit homicidium, immò fiat cum peccato mortali, quia forsan non est adhibita diligentia, non inducit hanc excommunicationem, quia non est violenta, aut iniuriosa iniectio.*

3. *Debet esse suadente Diabolo, idest, notabilis, ita vt sit peccatum mortale, pro solò enim mortali peccato, excommunicatio maior fulminatur vt habetur 11. q. 3. cap. nemo.*

4. *Debet esse facta in Clericum, vel in Monachum. Et per Clericum intelligimus e-*

tiam,

tiam, qui solam habet primam tonsuram. cap. cùm contingat. de ætat & qualitat. Immò etiam si coniugatus sit, gaudet priuilegio huius Canonis, dummodo tonsuram, & habitum ferat, & cum virgine cōtraxerit. cap. 1. de Cler. cōiug. in 6. Hodie verò per Concilium Trid. sess. 23. cap. 6. requiritur vlterius, quòd alicuius Ecclesiæ seruitio, vel ministerio ab Episcopo deputatus, Ecclesiæ deseruiat. Per Monachum autem intelligimus Monachos, & regulares professos, & conuersos eorum. cap. non dubium. de sent. excom.; & Monachas, & earum conuersas. cap. de monial. de sent. excom. Immò nouitios, & nouitias. cap. religioso. de sent. excom. in 6. Similiter & Fratres Tertij Ordinis S. Francisci, vel S. Domini, qui gregatim viuunt, & habitum

por-

pertant religiosum. Secundã Rot. *in decis. antiq. 332. in fine. Idem dic de heremitis alicui Regulæ, vel Superiori subiectis. Syluest. ver. Heremita. num. 2. Idem etiam dicendum de illis, qui se, & sua obtulerunt cum delatione habitus. Sylu. ver. Ecclesia. 1. num. 6. vers. Ad idem. Et de militibus S. Ioannis Hierosolymitani, Sylu. vbi supra Et secundum* Felinum *in cap. à nobis. 2. num. 4. de sent. excom. priuilegium hoc habet locum, tum si percutiantur viui, tum etiam si mortui.*

Clerici percussor in multis casibus excusantur.

In multis autem clericorum percussores excusantur. 1. quando percussio facta est ioco. 2. quando fit fortuitu. 3. ad repellendam vim sibi à clerico factam. 4. quando inuenit Clericũ in fragrãti cõcubẽtem cum vxore, matre, sorore, vel filia: non autem cum aliis.

Præ

Præterea in hoc cap. ſtatuitur, vt qui ad Eccleſiam, vel cœmeterium confugerint, inde per vim non extrahantur ſub pœna excommunic.

Confugientes ad Eccleſiam, vel ad Cœmeteria, p vim non extrahantur.

Circa hoc decretum, nota quod in cap. inter alia de immunit. Eccleſ. & l. præſenti. C. de his, qui ad Eccleſiam confugiunt, cautū eſt ne liber homo, quantumcunque malefactor confugiens ad Eccleſiā, inde vi abducatur: nec morte, vel pœna corporis pro delicto puniatur, ſed ab Eccleſia defendatur. Exeipiuntur tamē latrones publici, hoc eſt, qui palàm, & publice prædantur, vel publicas vias obſident, vel caſtra tenent, vt tranſeuntes ſpolient. Item nocturni depopulatores agrorum. Item qui in Cœmeterio, vel Eccleſia committunt delictum enorme, quale eſt homicidium, ſpe immunitatis Eccle-

Ecclesiastica cap. immunitatem. de immunit. Eccles.

Talibus autem ad Ecclesiam sic confugientibus Rectores Ecclesiarum debent seruare vitam, & membra, & tutos eos efficere ab omni corporis tormento, siue pœna corporali, c. reum, & c. id constituimus. 17. q. 4. Et non possunt illos Iudici petenti reddere, nisi ille idoneam præstiterit cautionem, videlicet iurando, se illum non puniturum. Item defendendi sunt tales ab Ecclesia contra Iudicem sæcularẽ, non solùm conantem vi illum abducere, sed etiam obsidentem Ecclesiam, vel denegantem illi, aut requiem, aut victum, aut vestes consuetas, aut aliquo alio modo vexantem. l. præsenti. supra citata.

Iudices sæculares contrauenientes, iure ciuili, sunt rei crimi-

criminis læsæ Maiestatis, & vltimo supplicio puniendi. l. 2. & l. præsenti. C. de his, qui ad Ecclesiam confug. Iure verò Canonico talis Iudex ex communicari debet, & pœna pecuniaria mulctari, & ad publicam pœnitentiam adigi: nec ad communionem admitti, nisi restituat eum, quem per vim extraxit, cap. nullus. cap. si quis contumax. cap. quisque. 17. q. 4.

Iudices cō trauenientes Ciuili, & Canonice iure mulctantur.

Pro hac eadem immunitate vide Constitut. Gregorij XIV. quæ incipit: Cùm alias. Pro cuius Constit. declaratione, vide Germonium in tract. de immunit. Eccl.

Alii canones sequuntur vsque ad XXX. qui ad mores spectant Ecclesiasticorum, & consultò omittuntur.

Papa vt eligatur du partes eligentium concordare debent, alioquin electio nulla.

De

De Concilio Lateranensi III.

Anno 1179.

ANno 1179. mortuo Adriano IV. Cardinales omnes, præter tres, elegerunt Alexandrum III. in Pôtificem, illi verò tres alium, elegerunt qui Octauianus antea, Victor postea vocatus est: per quàm electionem factum fuit schisma, non solum dum ille Victor vixit, verùm etiam eo mortuo, quidam Guido, & eo etiam defuncto, alius quidam Ioannes, sic electi fuerunt. Hos schismaticos vniuersa Germania coluit. Alexander verò à Gallia, Britannia, Hispania, & à cæteris alijs Prouincijs pro vero, & legitimo Papa semper est habitus, excepta vna Italiã, in qua aliæ Regiones

Schisma in Ecclesia Dei.

nes

nes Alexandro, aliæ verò Victori sunt obsecutæ. Friderico autem Imperatore prælio superato post duos de viginti annos, quibus apertas cum Alexandro Pontifice inimicitias gesserat, se ad pedes eius supplex abiecit, pacemq. cum illa firmam, & stabilem conciliauit.

Causa cõuocãdi Cõcilium.

Tunc Alexander, vt Ecclesiæ commodis consuleret, atque vt alij Pontifices procellas, quibus ipse vexatus fuerat, deuitarent, in posterum prospiciens, Concilium generale conuocauit, formaque electioni Pontificis pręscripsit: Statuit enim ad futura schismata vitanda, vt non habeatur pro Romano Pontifice, qui non à duabus partibns Cardinalium esset electus. Rescidit ordinationes omnes à Schismaticis Pseudopõtificibus Octauiano, Guidone, & Ioan-

Acta Cõcilij.

ne habitas. Anathematizauit præterea hæreticos omnes, omnes, atque illos, qui ab illorum communione non se separassent, vel auxilium eis aliquo modo attulissent. Imò armis comprimendos illos esse decernit. Pluraque alia vtilia statuit, prout in nostra Summa Conciliorum.

In hoc Concilio statuti sunt plures canones, quorum præcipuos hic breuiter subnectam.

Papa vt eligatur, duę partes eligentium concordare debent. alioqui electio nulla.

De electione Summi Pontificis hæc dicuntur. *Vide in c. licèt, de elect.* Statuimus, vt si fortè (inimico homine superseminante zizaniam) inter Cardinales de substituẽdo Summo Pontifice non poterit esse plena concordia, & duabus partibus concordantibus, pars tertia concordare noluerit, aut sibi alium prę sumpserit nominare, ille absque vlla exceptione ab vni-

vniuersali Ecclesia, Romanus Pontifex habeatur. Siquis tamen de tertiæ partis nominatione confisus, quod de ratione esse non potest, sibi nomen Episcopi vsurpauerit, tam ipse, quam ii, qui eum receperint, excommunicationi subiaceant, & totius sacri Ordinis priuatione mulctentur, ita vt viatici etiam eis (nisi tantũ in vltimo vitæ) communio denegetur, & si non resipuerint, cum Dathan, & Abyron, quos terra viuos absorbuit, accipiant portionem. Præterea, si à paucioribus, quàm à duabus partibus aliquis electus fuerit: ad Apostolatus officium nisi maior concordia intercesserit, nullatenus adsumatur, & prædictæ pœnæ subiaceat: si humiliter noluerit abstinere. Ex hoc tamen nullum Canonicis Constitutionibus, & aliis

Ecclesiis præiudicium generetur, in quibus maioris, & sanioris debet sententia prævalere: quia quod in eis dubium venerit, Superioris poterit iudicio definiri. In Romana vero Ecclesia speciale aliquid constituitur, quia non poterit ad Superiorem recursus haberi.

Item in hoc Concilio de hereticis Albigensibus, & diuersis eorum appellationibus latè disseritur.

Item ne Patroni, vel quilibet laici Ecclesias opprimant, aut Ecclesiasticas personas.

Iudæi christiana mãcipia non permittantur habere

Item ne Iudæi, vel Saraceni Christiana mancipia permittantur habere: sed ad fidem Christi, si conuerti voluerint, à possessionibus suis nullatenus excludantur. *Vide etiam Constit. Gregor. XIII. contra Iudæos, quæ incipit: Antiqua*

Iu-

Iudeorum improbitas.

Item in electionibus, vel Ecclesiasticis Ordinationibus consequatur effectum quod à maiori, & saniori Concilij parte fuerit constitutum. *In electionibus maior & sanior pars praualeat*

Item, vt ordinationes à Schismaticis factæ, irritæ habeantur, & inanes: & Beneficia ab eis collata reuocentur.

Item, vt clerici intra sacros Ordinis constituti continenter viuant: & si in illa incontinentia, quæ contra naturam fit, deprehensi fuerint laborare, excommunicentur, & à Clero eiiciantur. *Sodomiæ vitio Clerici siue seculares, siue regul. laborantes grauibus pœnis affiiciuntur.*

Item vt nullus Torneamēta exercere præsumat: & mortui in torneamentis; Christiana careant sepultura. *Vide pro hac Constitut. Pij V. quæ incipit: De salute gregis Dominici. Vbi omnibus Princi-* *Torneamenta omnino, & cūctis prohibentur.*

pibus Christianis, quacunque tam Ecclesiastica quàm mundana, etiam Imperiali, & Regia, vel quauis alia dignitate fulgentibus, vel quibusuis Communitatibus, & Rebus publicis probibet sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda; ne in suis Prouinciis, Ciuitatibus, Terris, Oppidis, & locis, huiusmodi spectacula, vbi Taurorũ aliarumq. ferarum, & Bestiarum agitationes exercentur, fieri permittant. Militibus quoque caeterisque aliis personis, ne cum Tauris, & aliis bestiis in praefatis spectaculis, ipsi tam pedestres, quam equestres, cõgredi audeant, interdicitur. Quod si quis eorum ibi mortuus fuerit; Ecclesiastica careat sepultura: Clericis quoque tam saecularibus, quàm regularibus in sacris constitutis, sub excommunicationis pœ-

Clerici ad torneamẽta ne assistant.

na præcipitur, ne eisdem spectaculis intersint. Vide Nau. in Man. cap, 15. num. 18. & sequentib. & Guttierez lib. 1. Canonic. quæst. cap. 7.

Item vt vnaquæque Cathedralis Ecclesia Magistrum habeat, qui pauperes scholares, & alios doceat, nec pro licentia docendi aliquis prætium exigat.

Item vt Prælati vnam tantum regant Ecclesiam.

In hoc eodem Concilio delata fuit accusatio aduersus scriptum Petri Lombardi Episcopi Parisiensis, & qui vulgo dicitur, Magister sententiarum, quòd malè sensisset de Christi humanitate, & in alijs articulis Fidei ab Ecclesia Catholica deuiasset: & singulariter, quòd asseruerit, Christum secundum quòd homo, non esse aliquid. Pro qua re Papa Alexād. *Contra Petrum Lombardum.*

præcepit Vuillelmo Senonesi Archiepiscopo, vt adscitis suffraganeis suis, vnà cum illis, & alijs viris Religiosis, & prudentibus, præscriptam doctrinam studeret abrogare: & à Magistris, & Scholaribus idem in Theologia studentibus, Christum, sicut perfectum Deum, sic & perfectum, ac verum hominem ex anima, & corpore consistentem præciperet edoceri: quod & ille nauiter impleuit.

In hac eadem Synodo damnata est hæresis Catharorum Valdensium, & Albigensium.

†

De

De Concilio Lateranensi IV.

ANno Domini 1215. celebrata est Sancta Vniuersalis Synodus Romę in Laterano, mense Nouembris. *Anno D. 1215.* Causa fuit talis. Vrbanus II. Pontifex in Claromontano satis frequenti Concilio statuit primum (teste Sancto Antonino) vt septem horariæ preces B. Virginis, quotidie recitarentur, maximè ab Ecclesiasticis. Et sabbatis quibusq. Missæ sacrificium in honore, & cultu eiusdem Deiparæ fieret. *B. Virg. officium, & Missa eiusdem in sabbato dicenda constituitur.* Deinde graui oratione valdè conquestus est; Ierosolymitanam regionem, in qua Christus Dominus Sanguinem, vitamque nostra causa profudit, cæteraque sancta

illa loca eiuſdem Redemptoris noſtri conſecrata memoria: magno cum Chriſtiani nominis dedecore, in Saracenorum manus perueniſſe. Quare Chriſtianæ Reipublicæ Reges, Principes, cæteroſq. Chriſtianos adhortatus eſt, vt coniunctis viribus, ſanctam illam Prouinciam ex hoſtium manibus eriperent: & quàm primùm ad ſacrum bellum ſe accingerent. Ita hæc Pontificis oratio illorum animos incendit, vt penè dicto citius, militum vndiq. ad trecenta millia, ſub diuerſorum Principũ ductu coacta ſint: ac militari amictu Cruce inſignito, vt ſeſe oſtenderent, pro Chriſto Domino bellũ gerere (vnde *Crucesignati*, & ipſa expeditio *Cruciata* vocata eſt) Antiochiam primùm: mox finitimas regiones; poſtremò Ieroſolymã ipſam, vt permagno labores, ita ingenti gloria ſint adep-

adepti:creato itidem in Ierosolymitana vrbe, & ditione Rege Gottifredo strenuissimo Duce, omniũ qui aderãt Principũ cõsẽsu. Regnatũ est Ierosolymis nonaginta circiter annis: ac per id tẽpus Sũmi Ro. Pont. officio suo, ac muneri in eo Regno tuẽdo, ac Saracenis procul arcẽdis, nõ defuere. Verùm tamen effici non potuit, quominus Guidone Rege capto; Vrbano III. Pontifice Ierosolyma à Saracenis occuparetur. Cui, Pontifici, cùm Gregorius successisset, is impiger Reges, Principes, populosq. Christianos omnes excitat, tum literis tum Legatis, atque ad Ierosolymam recuperandnm vrget. Idem præstiterunt, qui post eum Pontifices fcerunt: sed permulta acciderunt, quæ sacro huic bello impedimenta attulere. Innocentius III. vir doctrina, & moribus insignis, vbi Pontificatum

Ierosolima à Gottifredo capitur ibiq. Rex creatur.

Ierosolyma post 90. annos à Saracenis occupatur.

iniit, Ierosolymę recuperationi animum adiecit. Et verò in spem magnam venit, fore, vt voti compos fieret, cùm suo tempore Latini aliqui Principes, expugnata Constantinopoli, Græciam ipsam suo Imperio subiecissent, & Balduinus Flandriæ Comes, Constantinopolitanus Imperator esset electus: Idemque curam adhibuit, vt Græci diuturno schismate ab Ecclesia Catholica seiuncti, ad Romanæ Ecclesiæ obedientiam reuerterentur.

Innoc. 3. oẽs ad sacrum bellum hortatur.

Quamobrem Pontifex, & litteris, & Legatis missis, omnes ad sacrum hoc bellum cohortatus est: eumque magnopere optans Innocentius, tum ob Ierosolymitanæ vrbis recuperationem, tũ ob vniuersæ Ecclesiæ reformationem, sanctorum Patrum vestigia secutus, Generale indixit Concilium, in quo, & deprauati mores cor

rige-

rigerentur, & hæretici damnarentur, & Principes, ac populi ad sacram hanc expeditionem adducerentur.

Synodus in Laterano congregatur.

Mense igitur Nou. anno ab Incarnatione Verbi 1215. celebrata est Sancta Vniuersalis Synodus Romæ in Ecclesia S. Ioannis in Laterano, Præsidente ipso Domino Innocentio Papa III. Pontificatus eius anno 18. in qua fuerunt Episcopi 412. inter quos extiterunt de præcipuis Patriarchis duo, videlicet, Constantinopolitanus, & Ierosolimitanus. Antiochenus autem graui languore detentus, venire non potuit, sed misit pro se Vicarium Antheradensem Episcopum. Alexandrinus verò sub Saracenorum dominio constitutus, fecit quod potuit, mittens pro se Diaconum suum Germanium. Primates autem, & Me-

tropolitani 71. Cæterum, Abbates, & Priores vltra octingentos: Archiepiscoporum verò, & Episcoporum, & Capitulorum absentium Procuratorum, non fuit certus numerus comprehensus. Legatorum verò Regis Sicilię in Romanorum Imperatorem electi, Imperatoris Constantinopolitani, Regis Franciȩ, Regis Angliæ, Regis Vngariæ, Regis Aragoniæ, nec non & aliorum Principum, & Magnatum, Ciuitatum, aliorumque locorum ingens fuit multitudo.

In hoc Concilio, primum explicata est Catholica fides contra varios hæreticorum errores, vt patet per totum titulum de Summa Trinit. & fide Cathol. Vbi inter cætera hæc habentur: Vna est fidelium vniuersalis Ecclesia, extra quam nullus saluatur.

[E]cclesia fidelium vna.

Ve-

Verum Christi Corpus, & Sanguis in Sacramento Altaris sub speciebus panis, & vini veraciter continetur; TRANSVBSTANTIATIS pane in Corpus, & vino in Sanguinem potestate diuina.

Transubstantiatio in Sacramento Eucharistiæ asseritur.

Hoc Sacramentum nemo potest conficere, nisi Sacerdos fuerit ritè ordinatus secundum Claues Ecclesiæ, quas ipse concessit Apostolis, & eorum successoribus Iesus Christus.

Eucharistiã nemo pōtconficere, nisi sacerdos ritè ordinatus.

Sacramentum Baptismi, quod cum inuocatione Trinitatis consecratur in aqua, tam paruulis, quàm adultis, in forma Ecclesiæ à quocunque ritè collatum fuerit, proficit ad salutem. Si tamen post susceptionē Baptismi contingat prolabi in peccatum, per veram pœnitentiam semper potest reparari.

Baptismi Sacramē. ritè collatum, cunctis prodest ad salutem. Post Baptismum prolapsi in peccatum, per Pœnitentiam reparari possunt.

Non solum Virgines, & Cō-

tinentes

Per fidem & operatio-nem merē-tur ad bea-titudinem peruenire. rinentes, verum etiam Coniugati, per fidem rectam, & operationem bonam ad æternam mereantur beatitudinem peruenire.

Libellus Ioachim contra Petrum Lōbardum damnatur. In 2. capite damnatur, & reprobatur libellus Abbatis Ioachimi contra Petrum Lōbardum editus, De vnitate, seu essentia Trinitatis; *Hic animaduerte, quod libellus, solus, non ipse auctor fuit damnatus, maximè, cùm idē Abbas Ioachim omnia scripta sua Papæ assignari mandauerit, Apostolicæ Sedis iudicio approbanda, seu etiam corrigenda.*

Almarici hæretici errores damnātur. sūt autem plures. Reprobata sunt pariter peruersissima dogmata Almarici, qui plura insaniens asserebat.

1 Corpus Christi non aliter esse in pane Altaris, quam in alio pane, & in qualibet alia re, *Transub-*

stan-

ſtantiationem denegans.

2 Deum ſic loquutum eſſe in Ouidio, ſicut in Auguſtino.

3 Negabat etiam reſurrectionem corporum: Paradiſum ſimiliter, & Infernum: ſed qui in ſe Dei cognitionem haberet, illum habere quoque in ſe Paradiſum; qui contrà, peccatum mortale, haberet, eumdem Infernum habere in ſe, non aliter quàm dentem putridum in ore.

4 Altaria Sanctis dicata, & Imagines thurificare, Sãctorũq. inuocationes, idololatriã eſſe aſſerebat. Hęc & alia plura impius Almericus effutiebat, quæ in hoc Cõcilio damnata ſunt.

In cap. 3. excommunicatur, & anathematizatur omnis hæreſis, extollens ſe aduerſus Sanctam, Orthodoxam, *Hæretici omnes excommunicantur.*

&

& Catholicam fidem, condẽnantes vniuersos hæreticos: qui damnati, sæcularibus Potestatibus reliquuntur, debita animaduersione puniendi.

Excõmunicantur q sine licētia prædicant.

Excommunicantur pariter, qui sine licentia prædicant.

Deponitur Episcopus, qui ad expurgandas hæreses negligens inuenietur.

In cap. 13. statuitur, ne nouæ Religiones permittantur. vide in cap. Ne nimia, de religios. domibus.

Religiones nouæ non permittantur.

In cap. 21. decernitur, vt fideles omnes semel in anno saltem confiteri teneantur. Et hoc est cap. *Omnis vtriusque sexus*. ab omnibus communiter citatum.

Confessio annualis præcipitur.

Caluini obiectio soluitur.

Sed contra hoc decretum insurgit Caluinus lib. 3. Instit. cap. 4 §. 7. & ex facto Nectarii apud Constantinopolim,

polim, probat, sublatam tunc fuisse ab eo Confessionem auricularem, & priuatam.

At mentitur, vt solet; Nectarius enim solummodo confessionem peccatorum publicam (quæ tunc ab illis, qui in statu pœnitētię erant, quique Pęnitentes dicebantur) abstulit: non verò auricularem, & priuatam, quæ cùm iure diuino instituta sit, minimè potuit ab eo auferri. Id patet, quia post Nectarii tempora, mansit semper in Ecclesia Græca vsus Confessionis priuatæ, vt perspicuum est ex Chysost. hom. 30. in Gen. vbi meminit Confessionis, quæ in ebdomada Sancta ante festum Paschæ fieri debet. Idem docet hom. 33. in Io. & in 2. & 3. lib. de Sacerdotio. Idem habemus ex Nicephoro Cartophilace in epist. ad Theodosium, cuius fragmētū extat

Nectarius confessionē publicam, non auricularem abstulit.

in

in 1. Tomo Bibl. SS. Patrum. Et ex Concilio Trullano. can. 102. Nulla autem historia refert, ab vllo Episcopo, vel Concilio reuocatum esse, ac retractatum id, quod Nectarius fecerat: non ergo abrogauerat ille priuatam Confessionem, vt ex facto Nectarii perperam deducit Caluinus. Adde & his, non solum Nectarium, verùm & Chrysostomum eius successorem, eundē ritū publicè confitendi, sustulisse, vt patet, ex hom. 2. in Psal. 50. cùm ait: *Non dico vt confitearis conseruo, qui exprobret.* & hom. de pœnit. & confess. sic habet: *Nunc autem neque necessarium, præsentibus testibus confiteri, &c.* & hom. 5. de incomprehensibili natura Dei: *Non te, inquit, in theatrum conseruorum tuorum duco, non hominibus peccata tua detegere cogo.* Et hom.

Chrysost. confessionē publicam, non auricularem abstulit.

hom.4. de Lazaro. *Non cogo te, in medium prodire theatrum, ac multos adhibere testes: mihi solum dic peccatum priuatim, &c.* Idem in hom. 31. in epist. ad Hebr. Vide Bellarm. de Pœnit. lib. 3. cap. 14. 15. & seqq. vbi eruditissimè omnia hæreticorum argumenta soluit.

In cap. 29. prohibetur, ne quis habeat duo Beneficia Curæ annexa.

Beneficia curata duo non habenda.

In cap. 46. Ne Clerici, etiam propter communes vtilitates grauentur.

Clerici à secularib⁹ non grauētur.

In cap. 58. Vt Monachi & clerici tempore interdicti possint celebrare (sed exclusis excommunicatis, & interdictis) ianuis clausis, & suppressa voce, non pulsatis Campanis. Aliaque plura vtilia statuuntur, quæ in Gregorij IX. Decretalium collectione videri possunt.

Cler. & Mon. tempore interdicti celebrare diuina officia possunt.

De

De Concilio Lugdunensi I.

Anno D. 1245. ANnó Dom. 1245. Innocentius IV. Papa Lugdunum veniens, data epistola ad omnes Episcopos, ac Reges, & Principes Christiani Orbis, eos ad Synodum Lugduni celebrandam inuitauit: quamq. post festum S. Ioannis Baptistæ celebrauit. In qua inter alia, quintam partem ab Ecclesijs redditūum requisiuit. Imperator Fridericus II. pro se quosdam misit, inter quos erat quidam Thaddeus, Doctor legum, qui pro eo elegantissimè allegauit, ita ut plurimorum audientium sibi conquireret fauorem. Nihilominus autem Papa in die S. Iacobi, feria tertia, quæ tertia

tia dies erat Concilij, ipſum Imperatorem excommunicauit. Citatus enim, & non comparens, à Cæſarea Maieſtate, & Imperiali culmine, auctoritate propria depoſuit: & hanc depoſitionem per totam Eccleſiam promulgauit, præcipiens ſub interminatione excommunicationis, vt nullus eum Imperatorem de cætero nominaret. Qua ſententia per mundum volante, quidam Principes cũ multis alijs reclamabant, dicentes. ad Papam non pertinere, Imperatorem vel inſtituere, vel deſtituere: ſed electum à Principibus coronare. *Quod quàm à veritate diſtet, patet tum iure, quia Romanus Pontifex totius Eccleſiæ, id eſt, omnium Chriſtianorum Pater, & Paſtor eſt, vt latè in noſtra Summa Conciliorum, Pralud.X. demõſtramus*

Innoc. Imperatorem excommunicat.

Papa totius Eccleſiæ Pater, & Paſtor eſt.

mus

Henric. IV. Imp. Papæ superioritatem agnoscit.

mus, Extat pro hoc epistola Henrici IV. Imp. Cui primus ex Germanicis Impp. cum Rom. *Pont. graues inimicitias gessit) ad Principes Imperij, quam totam refert Abbas Vrspergensis in Chronico anni* 1106. *in qua hæc habentur: Præterea Domino Papæ in præsentia Legati sui, & vestra obedire parati sumus & nunc parati sumus ei omnem debitam reuerentiam, & obedientiam sincero corde, & deuotione præsẽtialiter exhibere. Patet etiam facto, nam hac potestate 4. Reg. 11. & lib. 2. Paralip. cap. 23. Ioiada Ponti fex Athaliam Reginam tyrannidem in populo exercentem, à regno amouit, & Ioas Regem constituit.*

Ioiada Põtifex Atal iam regno priuauit.

Greg. 2. Leonẽ Imp. excommunicauit.

Hac potestate Gregorius Papa II. Leonem Imp*eratorẽ Iconoclastarum hæresi studentem, atque eam in Italiam inducere*

ducere molientem, non solùm excommunicauit, sed etiam vectigalibus Italiæ prohibuit, vt Cedrenus, & Zonaras in eiusdem Leonis vita scriptum reliquerunt.

Eadem potestate Pontifex Zacharias Hilderici regnum, quòd eius socordia Catholica Religio in Galliis non modicum detrimentum pateretur, in Pipinum, & filios transtulit. Zachar. Papa Hilderico regnũ abstulit.

Eadem potestate Leo III. Põtifex, Regem Nordhamumbrorum, Regno suo iniquè pulsum, atque ad se, tanquam omnium Christianorum Caput, & Principem fugientem, per Legatos suos in regnum restituit, vt Aimonius scribit lib. 4. de rebus gest. Francor. c. 96. & Rhegino lib. 2. Chron. anno 808. Leo 3. Põt. Regi Nordamhumbrorum regnum restituit.

Eodem deniq. iure idem Leo Romanum Imperium à Græ- Leo idem Imperium Romanũ à Græcis ad Frãcos transtulit,

cis ad Francos trãſtulit; quod iam longo vſu didiciſſet, Græcos, aut non poſſe, aut nolle laboranti Eccleſiæ opem ferre: ac tum metuendum id maximè videretur, cùm, Imperatore Conſtantino fraude ſuorum excæcato, fæmina, quod antea nunquam acciderat, Romano Imperio præſideret.

Fæmina Romano Imperio præſedit.

Interea, Papa ſibi fecit citari Principes, quos ad Imperium regendum credidit idoneos, vt aliquis eorum onus Imperij ſumeret, & laborem: promittens ei, quicunque Imperium aſſumeret, conſilium, & auxilium pariter, & fauorem.

Aliqui tamen ipſorum Fridericum ſequentes, mandatũ Papæ non curauerunt: cæteri autem in vnum conuenientes, Henricum Prouincialem Comitem Haſſiæ in Regem contra Fridericum eligentes, par

tes

tes eius, quantum potuerunt, defendebant. Electus autem Henricus bellum cum Conrado habuit filio Imperatoris in campis iuxta Francofordiã & victor euadens, Conradum superauit.

Annis igitur quinque nomen gerens Regium, nihil memoria dignum patrauit, sed obijt, Imperij coronam minimè consecutus. Quamdiu enim vixit Imperator Fridericus per annos fermè sex, preualere contra eum, nec Papa, nec aliquis Principum potuit: sed non aduertens sententiam Papæ (quam iniustam, & friuolã dicebat) se Imperatorem gessit, magnamque Principum, nobilium, & ciuitatum adhærentiam habuit vsque ad mortem. Hæc ex Abbate Stadense, & Trithemio.

Frider. Imper, excom. Papa paruipendit.

Actum fuit etiam in hoc

Concilio de recuperanda Terra sancta, S. Ludouico Francorum Rege, illius quintæ expeditionis sacræ Duce constituto. Qui Cruce signatus, vbi in Asiam cum ingenti exercitu traiecisset, primo prœlio Saracenos fugauit. Sed cùm ex pestilentia magna militum multitudo perijsset, victus ipse, captusque est. Rebus postea cum Saracenis compositis liber Rex, exercitusque dimittitur. Quinquè annis in Oriente commoratus, plurimos Christianos à Barbarorum seruitute redemit: multos etiam infideles ad Christi fidem conuertit: præterea aliquot Christianorum vrbes refecit suis sumptibus. Cùm verò mater eius è vita migrasset, redire cogitur in Galliam quinto post anno.

S. Ludouicus Rex Galliæ ad recuperandam Terram Sanctam Dux constituitur.

De

De Concilio Lugdunensi II.

ANno 1274. celebratum est Concilium Gener. Lugdunēse II. sub Gregorio X. in quo interfuerunt Episcopi 500. Abbates 60 & alij Prælati minores ferè mille. In hoc Concilio interfuit S. Bonauentura Cardinalis ex Ordine Minorum, cuius opera Græci cū Latinis conciliati sunt super articulo de processione Spiritus Sancti. Definitum est, Spiritum Sanctum ex omni æternitate à Patre, & Filio procedere, sed non tanquam à duobus spiratoribus, sed vt ab vno spiratore, & principio: neque duabus spirationibus, sed vnica dumtaxat spiratione. Gręci enim putabant, Latinos

Anno 1274

S. Bonau. huic Concilio interfuit. Gręcosque cū Latinis cōciliauit.

Spiritus Sanctus à Patre, & Filio, non tanquam à duobus, sed tanquā ab vno principio. procedit.

asserere, Spiritum Sanctum procedere à Patre,& Filio,tãquam à duobus ſpiratoribus, & principijs: duabus quoque ſpirationibus, non vna. Sed audiamus verba ipſa Concilij.

Verba ipſa Concilij de Spiritus S. proceſſione.

Proceſſio Spiritus Sãctus à Patre & filio profitetur vnica tantùm ſpiratione,et ab æterno.

Eccleſ.Ro. mater, & magiſtra fidelium.

Fideli, & deuota profeſſione fatemur, quòd Spiritus Sãctus æternaliter ex Patre, & ex Filio,non tanquam ex duobus principijs, ſed tanquam ex vno principio, non duabus inſpirationibus, ſed vnica inſpiratione procedit. Hoc profeſſa eſt hactenus, prædicauit, & docuit Sacroſancta Romana Eccleſia, Mater omnium fidelium, & Magiſtra. Hoc habet Orthodoxorum Patrum, atque Doctorum Latinorum pariter, & Græcorum incommutabilis, & vera ſententia. Sed quia nonnulli propter irrefragabilis præmiſſæ veritatis ignorantiam,in varios

errores

errores sunt prolapsi. Nos, sacro approbante Concilio, damnamus, & reprobamus omnes qui negare præsumpserint, æternaliter Spiritum Sanctum ex Patre, & Filio procedere: siue etiam temerario ausu asserere, quòd Spiritus Sanctus ex Patre, & Filio tanquam ex duobus principijs, & non tanquam ex vno procedat. Habentur hæc verba in 6. de Summa Trin. & fide Cathol.

Præterea in hoc Concilio de electione Summi Pontificis statuuntur ea, quæ habentur in cap. *vbi periculum de elect. in 6.* Vbi determinatur, vt mortuo Pontifice, Cardinales tantummodo decem dies teneantur expectare, quibus elapsis (siue absentes venerint, siue nón) ex tunc omnes conueniant in palatio, in quo idẽ Pontifex habitabat, & in Conclaue recludantur, de quo hęc sta- *Pontifice mortuo, Cardinales decem dies expectent.*

Conclaue quas conditiones habere debet.

ſtatuuntur. In eodem palatio vnum Conclaue, nullo intermedio pariete, ſeu alio velamine, omnes inhabitent in communi, quod (reſeruato libero ad ſecretam cameram aditu) ita claudatur vndique, vt nullus illud intrare valeat, vel exire. Nulli ad eoſdem Cardinales aditus pateat, vel facultas ſecretè loquendi cum eis; nec ipſi aliquos ad ſe venientes admittant, niſi eos, qui de voluntate omnium Cardinaliũ inibi præſentium, pro iis tãtũ rebus, quæ ad electionis negocium pertinent, vocantur. Nulli etiam fas ſit, ipſis Cardinalibus, vel eorum alicui, nuncium mittere, vel ſcripturam. Qui verò contra fecerit, ſcripturam mittendo, vel nuncium, aut cum aliquo ipſorum ſecretè loquendo, ipſo facto, ſententiam excommunicationis incurrat. Aliaque

plura

plura in Conclaui exiſtentibus ſtatuuntùr, quæ vide in loco citato. Vbi etiam prouiſum eſt, quid faciendum, quando Romanus Põtifex moritur extra Ciuitatem, in qua erat Curia. vide ibi §. Porrò.

Denique in eodem Concilio tractatur de expeditione in Terram Sanctam; vnde pro eius ſubſidio impoſita fuit omnibus Eccleſijs, & Monaſterijs, non tamen Xenodochijs, nec Orphanotrophijs, ſolutio decimarum omnium prouentuum Eccleſiaſticorum, per ſex annos continuos idem Cõcilium ſubſequentes. *Decimarũ ſolutio imponitur pro Terræ Sanctæ recuperatione.*

De Concilio Viennensi.

Anno D. 1311

ANno 1311. celebratum est Concilium Oecumenicũ Viennense Episcoporũ 300. iussu Clem. V. præsentibus tribus Regibus, Franco, Anglo, & Tarraconensi. Causa autem congregandi Conciliũ insinuatur à S. Antonino, 3. part. histor. tit. 11. cap. 3. in his verbis; Anno Dom. 1311. Kal. Nouembr. cępit celebrari Concilium Generale Viennæ in Burgundia, prout fuerat ante publicatũ. In quo præsentes fuerunt plus quam trecenti Episcopi, vltra alios Prælatos de diuersis partibus Orbis. Et cùm Clemens, vt satisfaceret promissioni in sua promotione Regi

Causa congregandi Cõcilium.

Franciæ

Franciæ factæ scilicet de delenda ex Ecclesia Bonifacij Papæ memoria, cum Prælatis Concilij tractaret; quia Rex illum hęreticum fuisse probare intendebat; Concilium nullo modo assentire voluit: sed contrarium declarauit, scilicet, ipsum fuisse Catholicum & indubitatum Pontificem. Verùm quia ipse fecerat processus cõtra Regem Franciæ, ad quietandum ipsum, non valentem obtinere quod cupiebat iniustum, declarauit, & decreto Concilij firmauit, quòd quacumque de causa Rex Bonifacium Papam, seu Ecclesiã offendisset, nullo vnquam tempore posset ipsi Regi, vel eius filiis, & hæredibus aliquid damni inferri, vel pœnæ.

In hoc Concilio editæ sunt Clementinæ constitutiones, quæ in corpore iuris insertæ *Acta Concilij.*

sunt. Actum est de Terra Sancta recuperanda.

Begardorum, & Beguinorum errores, in hoc Conc. damnatur.

Damnati sunt quoque errores Begardorum, & Beguinarum mulierum Alemanis.

1 Quòd homo in vita praesenti tantum, & talem perfectionis gradum potest acquirere, quòd reddetur penitùs impeccabilis, & ampliùs in gratia proficere non valebit. Nam (vt dicunt) si quis semper posset proficere, posset aliquis Christo perfectior inueniri.

2 Ieiunare non oportet hominem, nec orare, postquã gradũ perfectionis huiusmodi fuerit assecutus; quia tunc sensualitas est ita perfectè spiritui, & rationi subiecta, quòd homo potest liberè corpori concedere quicquid placeat.

3 Quod illi qui sunt in prędicto

dicto gradu perfectionis, & spiritu libertatis, non sunt humanæ subiecti obedientiæ: nec ad aliqua præcepta Ecclesiæ obligantur. Quia (vt asserunt) vbi Spiritus Domini, ibi libertas. 2.Cor.3.

4 Quòd homo potest ita finalem beatitudinem secundum omnem gradum perfectionis in præsenti assequi, sicut eam in vita obtinebit beata.

5 Quòd quælibet intellectualis creatura in se ipsa naturaliter est beata: quodque anima non indiget lumine gloriæ ipsam eleuante, ad Deum videndum, & eo beatè fruendum.

6 Quòd se in actibus exercere virtutum, est hominis imperfecti: & perfecta anima licentiat à se virtutes.

7 Quod

7 Quòd mulieris osculum (cùm ad hoc natura non inclinet) est mortale peccatum: actus autem carnalis (cùm ad hoc natura inclinet) peccatum non est, maximè cùm tentatur exercens.

8 Quòd in eleuatione Corporis Christi Iesu non debent assurgere, nec eidẽ reuerẽtiã exhibere: asserẽtes, quòd esset imperfectionis eisdem, si à puritate, & altitudine suæ contemplationis tantum descenderent, quòd circa ministerium, seu Sacramentum Eucharistiæ, aut circa passionem humanitatis Christi aliqua cogitarent.

Habentur hæc in Clement. *Ad nostrum.* de hæret.

Begardi, & Beguinæ damnati. Reprobata est, etiam in eodem Concilio, & condemnata doctrina, qua traditur, animam

mam rationis compotem, non esse corporis humani formã. Statutũ fuit, vt principalibus Reipublicæ Christianæ Academijs professores, stipendijs iustis, & debitis donarentur, qui Hebraicam, Chaldaicam, & Arabicam linguam publicè docerent: vt essent qui apud infideles his linguis vtentes, fidem propagare possent.

Lingua Hebraica, Chaldaica & Arabica doceatur.

Item facta est constitutio, vt festum Corporis Christi generaliter ab omnibus fidelibus celebretur fer. V. post Octauam Pentecostes, concessis indulgentijs ijs, qui in eo festo, vel sub Octauis, Officio, vel horis intererint. Vide in Clem. *Si Dominum.* de reliq. & venerat. Sanctor. Vbi confirmat, & seruari iubet constitutionem hac de eadem re ab Vrbano IV. antea datam, sed non à cunctis receptam.

Festum Corporis Christi à cunctis celebrari mãdatur.

Vide

Vide in nostro Breuiario Chronolog. sub anno Dom. 1261.

Vsuras exercere, & non esse peccatũ qui asserunt, tanquam hæretici puniuntur.

Hoc eodem Concilio statuitur contra vsurarios sic. Si quis in illum errorem inciderit, vt pertinaciter affirmare præsumat, exercere vsuras non esse peccatum; decernimus, eum velut hæreticum puniendum. Locorum nihilominus Ordinarijs, & hæreticæ prauitatis Inquisitoribus districtius iniungentes, vt contra eos, quos de errore huiusmodi diffamatos inuenerint, aut suspectos, tanquam contra diffamatos, vel suspectos de hæresi, procedere non omittant. Habentur in Clement. de vsuris. cap. sanè.

Templariorum Ordo extinctus. Quodeorũ fuerit institutum.

Templariorũ Ordo in hoc Concilio fuit omnino extinctus. De quo sciendum, quòd in Hierosolymitana vrbe erat Religiosorũ militum Ordo in

stitus

ſtitutus,qui cùm iuxta Templum Domini cohabitarent, Templarij dicti ſunt. Horum munus,& officium fuit, tueri fines,& vias Hieroſolymitanę ditionis ab incurſionibus hoſtium, & latrocinijs: vt aduenæ, & peregrini ad Sancta illa loca inuiſenda,tutò poſsēt accedere. Ex hiſce militibus multi olim Chriſti cauſa, & ſanguinem profuderunt, & frequenter vitæ diſcrimen adierunt.

Templariorum aliqui ſanguinem Christi fuderunt.

Verùm deinde à ſancto hoc inſtituto recedentes, Patriarchæ Hieroſolymitano, à quo prima beneficia acceperant,obedire renuerunt: Eccleſiis decimas, & primitias ſubtraxerunt, atq. omnibus redditi ſunt infeſti. Abyſſinorum etiam Legatum à Templarijs, contra ius gentium, fuiſſe occiſum, ſcribit Guillelmus Tyrius. Præterea ad Clemen.

Templariorum ſcelera.

V.

V. summum Pontificem multi Principes viri detulerunt, eos in hæresim, apostasiam, aliaque nefanda vitia incidisse.

Pontifex, an hęc vera essent diligenter inuestigauit, & quibusdam Cardinalibus, vt ipsi quoque inuestigarent pręcepit: ac tum Magistrum Ordinis, tum complures alios cōperit, in ea nefanda vitia esse prolapsos. Propterea in hoc Concilio, Templariorum Ordinem extinxit, eorumque bona Hospitalarijs militibus attribuit. Trithemius in Chronico affirmat, totum id factum esse opera Philippi Regis Francorum, qui crimen eis hæreseos falsum imposuit, vt eorum possessiones sibi acquireret. Ioannes verò Marius asseruit, quòd propter hæresim, aliaque facinora nefanda destructi, ac combusti sunt.

Et

Et idem habetur ex ſententia à Clem. V. prolata, quam in noſtra Conciliorum Summa reperies.

In hoc ipſo Concilio, vt ait S. Antoninus, fuit Sanctorum Cathalogo adſcriptus S. Ludouicus filius Caroli II. Regis Apuliæ, & Frater Roberti Regis. qui Ludouicus, cùm eſſet primogenitus Caroli, propter quod Regnum Apuliæ ad eum ſpectabat: mundum contemnens, habitum Ordinis Minorum aſſumpſit ex humilitate, & deuotione. Poſtea Archiepiſcopus Tholoſanus factus, religioſam, & ſanctã conuerſationem vſque in finem ſectatus, miraculis viuus, & mortuus, coruſcans, requieuit in Domino.

Ludouicus Caroli II. Regis filius Sanctorum Cathalogo adſcribitur.

Denique in eodem Concilio, ſtatuitur de electione noui Pontificis, prout refertur in Clem. *Ne Romani. de elect.* vbi

Cardinales, Sede vacante, quam iuriſdictionẽ exerceant.

vbi determinat Clemens V. vt Cardinalium cœtus, sede vacante, iurisdictionem Papalē non exerceat, nisi in quantum permittit Concilium Lugdunense: nec illud, vel eius partem alterare possint Vide citatum cap. in principio.

Camerarij & Pœniteñtiariorum Officium durat etiã mortuo Pont.

Item statuit, vt officium Camerarij, & Pœnitētiariorū Papæ duret eo etiā mortuo. quòd si deficiant, poterit cœtus Cardinalium pro tempore vacationis alios subrogare. Vide §. Eo tamen prouiso.

Cardinales è Conclaue exeũtes, redire teneantur si possunt.

Prouidet etiā casui, quo cō tingeret, Cardin. omnes exire Conclaue in §. Porrò, vbi hæc hābentur Porrò, si Romano non electo Pontifice, Cardinales omnes simul, vel successiuè (quod absit) exire cōtingeret Conclaue deputatum eisdem: ij (ad quos pertinet exequutio Constitutionis prę dictæ) illos ex ipsis, quibus infir-

in firmtas corporis, aut nota debilitas, excusationem non dabit, idem Conclaue (quàm citò poterunt) reintrare compellant: pœnas in dicta Constitutione contentas (nisi hoc fecerint) incursuri. Cardinales autem huiusmodi Conclaue reintrantes, ad electionem iam dictam procedant, & alias constitutionem præfatam obseruent, secundum statum in quo erant in Conclaui, quãdo ipsum, vt præmittitur, exiuerunt.

Statuit quoque, Cardinales per exceptionem excommunicationis, suspensionis, vel interdicti, ab electione non repelli.

Excom. Papæ electionem non impedit.

Dec hac eadem electionis Papę materia, extat etiam Cõstitutio Clem. VI. edita anno 1351. quæ incipit. *Licet in cõstitutione.* vbi in *§. Quia tamẽ* dicit, Cardinales in Conclaui

posse

Cardd. in Cõcl. quot seruos, & fercula habere possunt.

posse habere duos seruos clericos, vel laicos. Et in §. *Ac etiam*, vt Cardinales in Conclaui in prandio & in cœna vnum ferculum tantum possint habere cum alijs, quæ ad condimentum, vel saporem pertinent: & nullus Cardinalis possit vesci de alterius ferculo. Et in §. *Liceat*, vt Cardinales in Conclaui possint habere velamina simplicium cortinarum, vt honestiùs possint quiescere in suis lectis.

Papa per Simoniam electus nõ est Apostolicus, sed Apostaticus, & Hæresiarcha.

Iulius quoque Papæ II. in Constit. quæ incipit, *Cum tam diuino*. Edita anno 1405. dicit, quòd electio Papa per simoniam est nulla: & sic electus, quamuis in concordia Cardinalium, & eorum nèminè discrepāte, est Apostaticus, & vt Simoniacus, & Hæresiarcha habeatur: & est priuatus omnibus officijs, & beneficijs cuiuscunque generis, atque

etiam

etiam priori Cardinalatus honore, & perpetuò ad omnia prędicta inhabilis efficitur: & contra ipsum à quocunq. Cardinali poteſt opponi de Simoniaca labe, & indubitata hæreſi: ab eiuſque obedientia omnibus Cardinalibus, Clero, & Populo Romano licet impunè diſcedere. Poſſuntque Cardinales contra electum Papam per Simoniam implorare auxilium bracchij ſæcularis, ſi ſe ingeſſerit in adminiſtratione: nec ob id Schiſmatici fiunt. Cardinalibus autem ſic per Simoniam Papam eligentibus imponitur pœna priuationis beneficiorum, & dignitatum quarumcumque, etiam Cardinalatus. Qui verò Cardinales in tali Simoniaca electione complices non fuerint, alium poſſunt eligere, & Concilium conuocare.

Cardd. per Simoniam Papam eligẽtes puniũtur.

Pius IV. aliam edidit Con-

ſtitut.

De Papæ futura electione non potest tractari viuente Pont.

stitut.anno sal. 1558. quæ incipit. *Cùm secundum Apostolum*: in qua ponuntur grauissimæ pœnæ contra tractantes de electione futuri Pontificis viuente Papa, & eo inconsulto.

Papæ mortui expensæ in exequijs nō sint excessiuæ. *CellæCōcl. sorte distribuenda.*

Idem, aliam Constitutionē dat anno 1562. quæ incipit: *In eligendis*: in qua agit de sumptibus superfluis resecandis in exequijs demortui Papæ fieri consuetis, & vt expensam decem millium ducatorum non excedant. Et vt cellæ Conclauis sorte distribuantnr: aliaque plura ibidem statuit.

Et deniq. Greg. XV. data Constitut. anno 1621. quæ incipit: *Aeterni Patris*: Statuit, vt talis electio, siue perscrutiniū, siue per accessū, fiat secretè cū schedula clausa: & quòd in vnoquoq. scrutinio, antequam schedula in calicem mittatur,

á quo-

à quolibet Cardinale iuramentum alta, & intelligibili voce fiat his verbis: *Testor Christum Dominum, qui me iudicaturus est, me eligere quem secundum Deum iudico eligi debere, & quòd idem in accessu præstabo.* Et hoc iuramentum à nullo omittatur. Simile iuramentum habetur in Cõcilio Basileensi. Sess. 23. non longè à principio.

De Concilio Pisano.

ANno 1409 celebratum est Concilium Pisanum indictum & congregatum à Cardinalibus Gregorij XII. & Benedicti XIII. ad schisma tollendum. Res sic gesta est, vt patet ex Blondo, lib. 10. decad. 2. et S. Antonino, par. 3. tit. 22. c. 5. §. 2. Cardinales obedientiæ Gregorij XII. videntes nego- *Anno 1409 Concilium hoc qua occasione cõgregatum*

tium extirpādi ſchiſmatis pau latim ad nihilum reduci, & non ſolum Gregorium XII. ſed etiam Benedictum XIII. concordiam recuſare contra iuſiurandum, & fidem in ipſorum electionibus datam; Gregorium quoq; cōtra idem iuſiurandum, & fidem alios Cardinales, abſq; vlla neceſſitate, & ipſis inuitis, creare: hac nacti occaſione, ab eo tunc Lucæ commorante recedentes, Piſas petiere. Quòd cum plerique eorum, qui Benedictum XIII. ſequebantur, vidiſſent, ſimili exemplo ipſum Benedictum deſerentes, cæteris Cardinalibus Gregorij, qui Piſis erant, ſe ſe adiunxerūt. Ibique indicto Concilio Generali, & cum maxima Prælatorum frequentia inchoato, vterque Pontifex ab eis damnatus eſt, & vtroque tamquam periuro, ſchiſmatico, hæretico, colluſore, & ſchiſ

ma-

maticorum fautore, publico omnium decreto Nonis Iunij anni Domini 1409. è Pontificatu deiecto, in vtriusq. locũ, vigesimo post abrogationem die, tertium elegerunt Petrum Philaretum natione Græcum, Prouinciæ Cretensis, instituti, & Ordinis Fratrum Minorum & Sacræ Theologię Doctorem eximium, Presbyterum Card. Basilicæ Sãctorum Duodecim Apostolorum, & Alexandrum V. vocarunt. Interfuerunt in eo Concilio Cardinales 23. Patriarchæ tres, Archiepiscopi, & Episcopi 300. Monasteriorum Præfecti 280. Theologi, & Legati Principum Europæ.

Cardinales in Concilio Papã Alex. V. creant, sublatis Greg. XII & Benedicto XIII. qui Pontifices se esse asserebãt.

Dubitatum est valde, an canonicè, & legitimè esset Concilium conuocatum, eo quod sine vlla Romani Põtificis auctoritate esset indictum. De ea re, teste S. Antonino, loco citato, Florentiæ Laurentius Ro-

An Concilium hoc legitimè cõgregatum fuerit, cũ sine Pontificis auctoritate fuerit indictũ

dulphus triduo disputauit, & tandem conclusit, Concilium esse legitimum. Ioannes Gerson in libello; An Papa ex auctorari possit: *Hi Dei Nutu, inquit, & Spiritus Sancti, sicut credendum est, inspiratione tacti fuerunt*. Item cùm Alexander V. Bononiæ grauiter ægrotasset, & cognouisset sibi mortem imminere; Cardinales ad se venientes, ad concordiam, & pacem, & ad tuendam Ecclesię auctoritatem, ac dignitatem adhortatus, dixit: Per eam mortem, quam se continuò subiturum putabat, se existimare, & credere, quæ in Concilio Pisano acta fuerant, rectè, & integrè sine dolo malo facta fuisse. Insuper ipse Alexander V. in eo Côcilio creatus, in numero Pontificum Romanorum reponitur; & qui multo post tempore secutus est, eodem nomine Alexander V.

VI.dictus est. Antoninus loco citato dicit fuisse Conciliabulum, quia absque Romani Pontificis auctoritate fuit congregatum,& quia Gregorius XII. Concilij conuocationem non recusabat;sed solùm restitit,ne Pisis congregaretur.

Deniquè, quicquid sit,Concilium Pisanum congregatum est à Cardinalibus tempore schismatis,quo duo Pontifices erant dubij, & incerti,& indictum est,non ad res fidei definiendas;sed ad schisma in Ecclesia noxium abscindendum: quamuis reuera sublatum non sit,sed potius auctũ,quia Gregorius XII.& Benedictus XIII. Pontificatum deponere noluerunt:verùm hoc fuit per accidens; nam primaria intentio congregandi tale Concilium fuit ad schisma tollendum.

Concilium generale quãdo sine Pontificis auctoritate cõuocari potest.

Et hæc est vna ex illis causis,quæ à Theologis assignantur,

tur, propter quas licitè congregari potest Concilium generale absque Summi Pontificis auctoritate, & consensu, nempe si duo, vel plures de Sũmo Pontificatu contenderent, itaut vtriusque ius sit incertũ, & dubium: tunc enim penès Ecclesiam potestas est, Concilium conuocandi, vt schisma tollatur: ita tamen, vt prius vterque moneatur, velit ne Cõcilium indicere: vtroque verò renuente, Cardinalium est, & Episcoporum, & aliorum similium Concilium celebrare: vt communi Ecclesiæ saluti periclitanti consulatur: ac ita coactum est Concilium hoc Pisanum contra Gregorium XII. & Benedictum XIII. Cuius postea auctoritate conuocatum est Concilium Constantiense, in quo Gregorius XII. Pontificatum sponte deposuit; Benedictus verò XIII. inuitus ab eo

deie-

deiectus, & Ioannes XXIII. eo quod occultè fugere conaretur, & comprehensus est,& in carcerem trusus, ac demum Pontificatu nudatus,vt in seq. Concilio.

De Concilio Constantiensi.

ANno 1414. celebratum est Concilium Cõstantiense,quod indictum,& conuocatum est auctoritate Ioannis XXIII. id summopere procurante Sigismundo Imperatore. Interfuerunt in eo Concilio Cardinales 29. Archiepiscopi 47. Episcopi 270. Abbates,& Priores 164. Coactũ est Cõcilium hoc contra schisma trium Pontificum Romanorum Ioannis XXIII. Gregorij XII. & Benedicti XIII.Sunt

Anno 1414

Coactum est hoc Cõcilium cõtra Schismaticos Papas.

in ea Synodo priuati Pontificatu Ioannes XXIII & Benedictus XIII. Nam sess. 12. ex totius Synodi sententia, tum ob fugam tum ob alia crimina, de quibus accusatus, & conuictus fuerat, & ad concordiam sublato schismate, & vnionem in Ecclesia Dei faciẽdam, 4. Kal. Iun. anno Dom. 1415. est Ioanni XXIII. Pontificatus abrogatus, quæ omnia contra se acta, ipse approbauit, & firmauit, Papalibus se exuens vestimẽtis prid. Non. Iun. illius anni. Et sess. 37. septimo Kal. August. anno salutis 1417. communi consensu totius Concilij Benedictus XIII. tanquam periurus, pertinax, & schismaticus, & rebellis Ecclesiæ, priuatus est Pontificatu. At Gregorius XII. sess. 14 anno Dom. 1414. sponte sua se se Pontificatu abdicauit per Procuratorem
Ca-

Carolum Malatestam Ariminensem eius rei gratia ad Cōcilium destinatum. Electus est in eo Concilio Pontifex Martinus V. anno Dom. 1417. cuius auctoritate Concilium est postea confirmatum. Condemnatæ etiam hæreses Ioannis Vuiclefi, & Ioannis Hus. In eodem item Concilio combusti sunt igne Ioannes ille Hus, & Hieronymus Pragensis Hæresiarchæ.

Martinus V. Papa eligitur, cuius auctoritate Conciliū hoc confirmatū est. Damnatus est Vniclef. & Hus, atq. Hieronymus de Praga heretici.

Mentiuntur autem huius temporis hæretici, dicentes, in Concilio Constantiensi editum esse decretum, non esse fidem seruandam hæreticis: vnde vehementer reprehendunt huius Concilij Patres, quòd cùm Ioannes Hus, & Hieronymus Pragensis sub fide publica ad Cōcilium venissent, sunt contra fidem publicam capitali sententia damnati. At ex verbis ipsius Concilij, sess. 19.

constat hoc esse falsissimum. Verba Concilij sic habent: *Declarat S. Synodus ex saluo conductu per Imperatorem, aut alios Principes concesso, nullum fidei Christianæ, aut iurisdictioni Ecclesiæ praiudicium generari posse, aut debere, quo minus liceat Iudici Ecclesiastico de huiusmodi personarum erroribus inquirere, eosque punire quantum iustitia suadebit, si suos errores reuocare pertinaciter noluerint, etiamsi de saluo conductu laicorum Principum confisi, ad locum venerint iudicij, aliàs non venturi. Nec sic promittentes, cum fecerint, quod in ipsis est, ex hoc remanere obligatos*. sic ibi.

Hieronymus Pragensis venit ad Concilium sub publica fide Imperatoris, non ipsius Concilij, vt testatur Sanctus Antoninus, par. 3. tit. 22. cap. 6. §.

6. §. 3. Nec Concilium dicit, Imperatorem, vel Principem Christianum non esse obligatum ad fidem publicam datam hæreticis seruandam: ait enim, promittentem debere facere quod in ipso est vt fidem seruet ei, cui ipse dedit. Ex hoc tamen non obligari Iudicem Ecclesiasticum ad eam fidem hæretico datam à laico seruandam.

Alij verò (& fortasse veriùs) asserunt, ipsum Hieronymum Pragensem furtim venisse Cōstantiam, à nemine protectum qui tamen deprehensus comparuit, perorauit, habitus perbenignè, liber abijt, quò voluit, sanatus est, hæresim eiurauit: relapsus est, exustus est.

Sed nec in Hussium animaduersum fuisset, nisi homo perfidiosus, & pestilens retractus ex fuga, quam ei Sigismundus

Imperator periculo capitis interdixerat: violatis etiam conditionibus, quas scripto pepigerat cum Cæsare, vim omnem illius diplomatis ener uasset. Fefellit Hussium præcipitata malitia. Iussus enim cùm barbaras in sua Bohemia tragedias excitasset, semetipsum sistere Constautiæ, despexit prærogatiuam Concilij, securitatem petijt à Cæsare. Cæsar obsignauit, Christianus Orbis resignauit, maior Cæsare: redire ad mentem Hæresiarcha noluit, perijt. Repetant hæretici suos Annales.

In hoc eodẽ Concilio cùm in nonnullis mundi partibus quidã temerariè asserere præsumerent, populum Christianum debere Sacramentum Eucharistiæ sub vtraque specie, panis, & vini suscipere: & non solum sub specie panis, sed

sed etiam sub specie vini populum laicum passim communicent: & post cænam, vel alias non ieiuni communicandum esse pertinaciter asserent contra laudabilem Ecclesiæ consuetudinem rationabiliter approbatam. Hinc est quòd decernitur, vt huiusmodi Sacramentum nec conficiatur post cœnam; nec sumatur à non ieiunis, nisi in casu infirmitatis, aut alterius necessitatis à iure, vel ab Ecclesia concesso, vel admisso.

Sacramentum Eucharistiæ non nisi à ieiunis (excepta necessitate) sumatur.

Et similiter, quòd licèt in primitiua Ecclesia Sacramentum hoc reciperetur à fidelibus sub vtraque specie; hæc tamen consuetudo ad euitanda aliqua pericula, & scandala, est rationabiliter introducta, quòd à conficientibus, sub vtraque specie: à laicis verò, tantummodo sub specie panis suscipiatur.

Prohibetur laicis cõmunio sub vtraq. specie.

Qui

Contrariũ asserentes pertinaciter tanquam hæretici sunt puniendi.

Qui vero dixerint, hanc consuetudinem, & legem obseruare, esse sacrilegiũ aut illicitũ, censeri debet erroneũ: & pertinaciter asserentes oppositum præmissorum, tanquam hæretici arcendi sunt, & grauiter puniendi per Diœcesanos locorum, aut hæreticæ prauitatis Inquisitores.

Item præcipitur sub pœna excommunicationis, vt nullus Presbyter communicet populum sub vtraque specie panis, & vini.

Animaduertendum est autem id, quod in sess. 4. definitur, nempè *Concilium Generale habere à Christo immediatam auctoritatem, cui omnes obedire tenentur, etiam si Papalis dignitatis existat*. Et aliquibus visum est, Martinum V. in vltima sess. id confirmasse, cùm omnia confirmauit Decreta circa fidem

huius

huius Concilij: hoc autem Decretum, aiunt, ad fidem pertinere videtur.

Ad quod breuiter dico, Cócilium hoc non definisse absolutè, Concilia Generalia habere à Christo potestatem supra Papam, sed tantum in casu, idest tempore Schismatis, quando nescitur quis sit verus Papa: nam dubius Papa, habetur pro non Papa: & proinde habere super illum potestatem, non est habere potestatem in Papam. Ita Turrecremata, Campegius, & Sanderus.

Conciliũ tempore Schismatis est supra Papam.

Quòd verò Concilium non sit supra Papam, vide in nostra Summa Conciliorum, in Præludi. quinto, vbi latè hoc demonstrâmus: hic verò breuiter dico, falsissimum hoc esse ex Conciliis ipsis: nam Concilium Suessanum non est ausum in Marcellinum Pontificem,

Conc. non est supra verum Papam extra tempus schismatis.

cem,qui ex timore thus idolis adoleuerat, ac postea Martyr gloriosus extitit, sententiam dicere, sed illis verbis vsum esse: *Tuo te ore, non nostro iudicio iudica: nam prima Sedes à nemine iudicatur.* Si ergo Pontifex à nemine iudicatur, igitur nec à Cōcilio poterit iudicari. Et in Concilio Lateran. III. & habetur in cap. licet. ext. de elect. sic habetur: *In Romana Ecclesia aliquid speciale constituitur, quia non poterit ad superiorem haberi recursus.* Patres etiam Concilii Romani sub Siluestro, can. vlt. sic statuunt. *Nemo iudicabit primam Sedem.* Idem colligitur ex Concilio Chalcedonensi sub Leone sect. 3. in quo Dioscorus Patriarcha Constantinopolitanus cum tota Ephesina Synodo II. damnatur: cùm ob alias causas, tùm

Conciliorum testimonia ꝙ *Papa sit supra Cōcilium.*

potissi-

potiſſimum, quia Summum Pontificem damnare auſus fuerat. Hoc ipſum habetur ex altero Concilio Romano ſub Adriano II. cuius verba refert VIII. Synodus. Act. 7. hoc modo: *Romanorum Pontificum Sedem de omnium Ecclesiarum Præſulibus iudicaſſe legimus; de ea verò quemquam iudicaſſe non legimus.* Id ipſum fatetur Lateranenſe Concilium vltimum ſub Leone X. ſeſſ. XI. vbi propoſita decreta à Conſtantienſi, ac Baſileenſi Concilio edita reprobat: *Solùm*, inquit, *Romanum Pontificem tanquam ſuper omnia Concilia auctoritatem habentem, Conciliorum faciendorum, transferendorum, ac diſſoluendorum, plenum ius, ac poteſtatem habens, nedum ex Sacra ſcriptura teſtimonio, dictis Sanctorum Patrum, ac aliorum Romanorũ* *Pon-*

Papa põt congregare & congregata diſſoluere Concilia.

Pontificum, sed & propria eorumdem Conciliorum confessione manifestè constat. Tandem Concilium Florentinum sub Eugenio IV. sess. 7. hoc ipsum disertè ab vniuersis tenendum statuit, priorum Conciliorum decreta renouat, & oppositam sententiam velut temerariam, ac erroneam explodit.

Pontificũ testimonia quod Papa sit supra Cócil. Accedunt Pontificum testimonia, quæ idem confirmant. Leo Magnus epist. 84. ad Anastasium Imp. Gelasius epist. ad Episcopos Dardaniæ habet hæc verba: *Cuncta per mundum nouit Ecclesia, quòd Sacrosancta Romana Sedes fas habeat de omnibus iudicãdi, nec cuiquã liceat de eius iudicare iudicio.* Nicolaus I. eã dem semper fuisse Ecclesiæ sententiam tradit epistola ad Michaelem. Idem confirmat S. Gregorius lib. 9. epist. 38.

Pascha-

Paschalis, vt habetur in cap. significasti. extr. de elect. Innoc. III. serm. 2. de consecr. Pontificis, ac plerique alij Patres: qui omnes concludunt, in Concilio statutum non inueniri, quasi Romanæ Ecclesię legem Concilia vlla præfixerint: cùm omnia Concilia per Romanæ Ecclesiæ auctoritatem & robur acceperint, & in eorum statutis, Romani Pontificis patenter excipiatur auctoritas.

Constantiense decretum declaratur.

Constantiensis igitur Synodus non definit simpliciter, Concilium esse supra Papam, sed eam conditionem apponit, *si Schisma Ecclesiã perturbet*: nam vt supra dicebamus, Schismate regnante, cũ ignoratur quis sit verus Papa, ignoratus Papa, pro non Papa habendus est: quapropter GeneraleConcilium potest tunc in dubios Pontifices senten-

ſententiam ferre, ac vno amoto, alterum verum, & legitimum Pontificem declarare. Hoc pacto Papalis dignitas, dubia. ſcilicet, ac ignorata, Concilij auctoritati ſubijcitur: quemadmodum id quoq; de Scriptura ſentimus, quæ quamdiu dubiæ auctoritatis eſt, & nũ diuina ſit ignoratur, Eccleſiæ iudicio ſubmittitur, cuius ſententia certa iudicari debet. Porrò tunc quidem credendum eſt, Concilio in hoc iudicio faciendo, & ferẽdo, Dei poteſtatem adeſſe, licèt ea extraordinaria ſit: neque facilè ex Scripturis habe ri poſſit, niſi ex conſenſu Eccleſiæ: ſicut fit cum ſede vacante, Sacrum Cardinalium Collegium aliquid circa Eccleſiæ adminiſtrationem decernit: tunc enim Apoſtolica Sedes Pontifice vacare cenſetur, cùm dubium Pontificem

habet,

habet, ac verum ignorat. Hæc creditur fuisse Constantiensis Concilij definitio, quæ ex illius verbis colligitur, cũ ait: *Cui quilibet cuiuscunque status, aut dignitatis, etiam si Papalis existat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem, & dicti Schismatis extirpationem*. Vide de hac re Bellarm. lib. 2. de Concil. cap. 19. Sander. de visibili Monarchia lib. 7. Turrecr. lib. 2. cap. 104. Hanc eandem sententiam, quòd Concilium non sit supra Papam docet *S. Bon. in 4. dist. 19. dub. 4. S. Antonin. 3. par. Summa. tit. 23. cap. 5. & tit. 24. cap. 2. Palud cum Caiet. in Quodlib. de Papa, lib. 3. cap. 98. & seq. Et de Iuristis; Vldaricus in Sũma. lib. 6. tract. 3. cap. 15. & 17. Imola in Clement. Ne Romani. de elect. col. 17. & Panormit. in cap. graue de praeben.*

quam-

quamuis alibi aliter teneat. Item Innoc. in cap. ex parte de verbor. signific. Io. Andreas & Cardinalis, & Hostiensis, & Archidiaconus, et Alexandrinus ibid. & in cap. si Papa dist. 40. & Glos. in cap. si quis pecunia. dist. 79. Item Iacobacius lib. 9. art. 12. Siluester. verbo. Papa. 4. q. 15. & verbo. Concilium. q. 3. & alij innumeri.

Excommunicati, qui vitandi ex Concilio Constant.

Sciendum est pariter, quòd ex hoc Concilio auctoritate Martini Papæ circumfertur, & communiter probatur constitutio quædam pro euitandis excommunicatis, sub his verbis; *Ad euitandum scandala, & multa pericula, quæ cõscientijs timoratis cõtingere possunt; Christi fidelibus, tenore præsentium, misericorditer indulgemus, quòd nemo deinceps à communione, alicuius Sacramentorum admi-*

nistratione, vel receptione, aut alijs quibuscumque diuinis, vel extra, prætextu cuiuscumque sententiæ, aut censuræ Ecclesiasticæ à iure, vel ab homine generaliter promulgatæ teneatur abstinere, vel aliquem vitare, aut interdictũ Ecclesiasticum obseruare, nisi sententia, aut censura huiusmodi fuerit in, vel contra personam, Collegium, Vniuersitatẽ, Ecclesiam, vel locum certum, aut certam à iudice publicata, vel denunciata specialiter, vel expresse: constitutionibus Apostolicis, & alijs in contrarium facientibus, nõ obstantibus quibuscunque. Saluo si quem pro sacrilega manuum iniectione in Clericum sententiam latam à Canone, adeo notoriè constiterit incurrisse, quòd factum non possit aliqua tergiuersatione celari, nec aliquo suffragio excusa-

cusari: nam à communione illius, licèt denunciatus non fuerit, volumus abstineri, iuxta canonicas sanctiones. Ita fertur statutum fuisse in hoc Concilio, quamuis inter ipsius Acta, talem Constitutionem, & si attentè, & accuratè conquisierim, non repererim, prout re vera non cõstat, sicut & alij ante nos testantur. Eam tamen referunt omnes communiter, eaque vsu Ecclesiæ est recepta, atque omninò consuetudine approbata, vt scilicet, nullus alius excommunicatus vitandus sit, nec vitare teneamus, nisi illum, qui nominatim excommunicatus fuerit, & a iudice publicatus, vel denunciatus: & præterea notorius Clerici percussor, ita quòd factum nulla possit tergiuersatione celari aut vllo suffragio excusari: non verò alius quicumque, etiam notorius

Constitutio hæc nõ reperitur in Actis Concilij, probata est tamen ex vsu Ecclesiæ, & communi DD. sententia.

rius omnino excommunicatus, ante eius publicationem, siue denunciationem.

De Concilio Basileensi.

ANno 1431. celebratum est Concilium generale Basileense, primò quidem à Martino V. indictum Papiæ: sed ob pestem ibi sequientem, Senas translatum, & ibi inchoatum: deinde tandem Basileæ continuatum, Præside Cardinali Iuliano Cæsarino, quem Legatum maxima cum auctoritate Martinus V. miserat. Sed eo defuncto, successor eius Eugenius IV. Concilium ipsum à suo prædecessore indictum, sua auctoritate approbauit, & vt inchoaretur à Legato Iuliano Cæsarino,

Anno 1431

Causa dissolutionis Concilij

voluit. Vnde inchoatum est anno Domini 1431. Sed cùm multa tractari cœpissent, in quibus prætextu componendi mores Reipublicę Christianæ, pleraque Ecclesię Romanæ priuilegia omninò tollere, & antiquare studebant. Id veritus Eugenius IV. Legato Sedis Apostolicæ reuocato, Concilium dissolui iussit, & Ferrariam transferri. Nihilominus Concilium Basileæ continuatum est contra eius auctoritatem, Pręside Ludouico Cardinali Arelatensi, iuxta aliquos: At Pius II (antea Aeneas Syluius Piccolomineus dictus, & qui in eodem Basileensi Concilio interfuit, eiusque partes defendendas, aliquando suscepit) in sua Bulla retractationis habet, quòd ipsemet Cardinalis Cæsarinus licèt iussu Summi Pontificis Eugenij IV discesserit; reuersus

sus nihilominus paulò post Basileam, ipsum Conciliabulum, omnibus iuribus reclamantibus, prosecutus est. Benè verum est, quòd resipiscens postea, erroremq. suum recognoscens, & se humiliauit, & ab Eugenio veniam obtinuit.

In eo tamen Concilio contra Eugenium IV. Amadæus olim Sabaudiæ Dux, & qui tunc in solitudinem se receperat, Pontifex creatus est, Fœlisque V. dictus: de quo scitè ab Antonino Florentino Archiepiscopo dictum est: *Basilea peperit basiliscum.*

Amadeus de Sabaudia pro Antipapa eligitur Fœlixque V. appelletur.

Hic deinde Fœlix Pontificatum deposuit, postquam sedisset annis 9. mensibus sex, & diebus septem.

Antipapa per nouē annos & sex men-ses pro Pō tifice se iactabat.

Hoc Concilium non est Pontificia auctoritate confirmatum, præter illa acta, quæ ad censuras, & causas beneficia-

les attinent, quæ Nicolaus V, confirmauit.

Durauit hoc Concilium per annos 11. menses 9. dies 27. continuatum est vsque ad annum Domini 1442. vt patet ex vltima sessione.

Conceptio purissima Deiparæ decernitur

Item in hoc Concilio in sess. 36. statuitur pro Conceptione purissima Deiparæ, & declaratur, doctrinam differentem gloriosam Virginem Mariam, præueniente, & operante diuini numinis gratia singulari, numquam actualiter subiacuisse Originali peccato, sed immunem semper fuisse ab omni Originali, & actuali culpa, sanctamque, & immaculatam, tanquam piam & consonam cultui Ecclesiastico, fidei Catholicæ, rectæ rationi, & sacræ Scripturæ, approbandam fore, tenendam & amplectendam: nullique de cætero licitum esse in contra-

trarium prædicare, ſeu docere: renouantes præterea inſtitutionem de celebrāda eius Sancta Conceptione, quæ VI. Idus Decembr. antiqua, & laudabile conſuetudine celebratur. *Dies feſtus Conceptionis.*

Appendix.

De hac eadem re quicquid decreuerit Concilium præfatum cùm in Cōciliabulum poſtea declinauerit, extat modò Decretum Sanctæ, & vniuerſalis Inquiſitionis iuſſu S. D. N. Gregorij Papæ XV. fer. 3. die 24. Maij, anni 1622. editum, vt in poſterum, donec articulus huiuſmodi à S. Sede Apoſtolica fuerit definitus, vel per Sanctitatem ſuam aliter ordinatum, non audeat quis in pu- *Decretum iuſſu Gregorij XV. editum pro Conceptione.*

blicis concionibus, lectionibus, conclusionibus, & alijs quibuscumque actibus publicis, asserere quòd eadem Beatissima Virgo fuerit concepta cum peccato originali.

Ampliatur decretum etiam ad priuata colloquia vel scripta.

Et quia, vt accepit Sanctitas sua, in aliquibus Regionibus iam ortæ sunt ex sermonibus priuatis, occasione assertionis affirmatiuæ, rixæ, & contentiones: propterea extendit, & ampliauit Sanctitas sua Decretum, etiam ad priuata colloquia, & scripta: mandans, & præcipiens omnibus, & singulis Regularibus, & sæcularibus, vt in posterum, neque etiam in sermonibus, & scriptis priuatis audeant asserere, quòd eadem Beatissima Virgo fuerit concepta cum peccato originali: nec de hac opinione affirmatiua aliquo modo agere, seu tractare: exceptis tamen ijs, quibus à S.

Sede

Sede Apoſtolica fuerit ſuper hoc ſpecialiter indultum.

Et inſuper, eadem Sanctitas ſuas cùm S. Romana Eccleſia de B Virginis Conceptione feſtum ſolemniter, & Officium celebret: omnibus, & ſingulis perſonis Eccleſiaſticis tam ſæcularibus, quàm cuiuſuis Ordinis, & Inſtituti Regularibus mandat, ac præcipit, vt in Sacroſancto Miſſæ ſacrificio, ac diuino officio celebrandis, tàm publicè quam priuatim, non alio, quã Conceptionis nomine vti debeant.

Ampliatur etiam vt in feſto Conceptionis tam in Officio, quam in Miſſa alio nomine quam Cõceptionis non vtantur.

Contrauenientes autem Sãctitas ſua voluit, & declarauit ſubiacere debere, & ſubiecit cenſuris, & pœnis in Conſtitutionibus prædeceſſorũ ſuorùm contentis.

Contrauenientes pœnis ſubijciuntur.

Animaduersio I. de auctoritate, & vi huius Concilij.

Basileense Concilium an sit legitimum, nec ne.

DE hoc Concilio Basileensi, an fuerit Oecumenicum, & legitimum, aliqui simpliciter affirmant, aliqui verò simpliciter negant: nos partim approbatum, partim reprobatum ipsum esse fatemur. Sciendum ergo, quòd tale Concilium absque dubio fuit Oecumenicum, & legitimum, quoad indictionem, & conuocationem: siquidem à Papa Martino V. primùm fuit indictum, & congregatum, misso ad eum Cardinale Iuliano Legato, vt ibi præsideret: & Martino defuncto, Eugenius IV. qui ei successit, idem Concilium ratum habuit, eumdemq. Legatum confirmauit

At

At desiit esse Oecumenicum, & legitimum, quando illicita potestate vsurpata, & Eugenio obedire contempsit, & ipsum pium Pontificem, nullius criminis, nedum heresços reum (nisi fortè hæresim dixeris, iura à Christo Pontificibus commissa, illæsa, illibataque seruare) deponere præsumpsit, atque Amadæum Sabaudiæ Ducem sub infelici Felicis V. nomine, in eius locum sufficere non erubuit. Vnde meritò reprobatum fuit, primùm ab Eugenio Papa, vt patet ex eodem Concilio sess. 38. deinde à Leone X in Concilio Lateran. vltimo sess. 22. vbi Cõciliabulum Schismaticum, seditiosum, & nullius prorsus auctoritatis appellatur. Nam eo tempore, quo Conciliũ in Pontificẽ sententiam pronunciare ausum est, omnes præcipui Episcopi dis-

Amadeus de Sabaudia Antip.

Concilium legitimum Florẽtiæ celebratur. papa.

cesserant: & quidam Cardinalis Arelatensis munus præsidendi sibi assumpserat. Deinde eodem tempore agebatur Florentiæ Concilium legitimum, in quo ipse summus Pontifex Eugenius IV. præsidebat & cum eo sedebant Episcopi Latini, & Græci sine comparatione plures, quàm essent Basileenses: & vnà cum Episcopis aderat Imperator Græcorum, & Orator Imperatoris Latinorum: vt nullo modo dubitari posset, vtrum ex duobus esset verum Concilium Ecclesiæ Generale.

Concilium legitimum Florentiæ celebratur.

Et tandem à tota Ecclesia, decretum illud, præsertim de Concilio supra Papam, velut irritum, ac nullius ponderis habitum fuit, cùm ea Eugenium IV. à Concilio Basileensi iniustè depositum, pro verò Pontifice agnouerit. Præterea quia illius Cócilij decreta nó fue-

Eug. IV. ab Eccl. semper habitus est pro vero Papa

fuerunt vnanimiter conclusa, neque cum consensu Legatorum Papæ, qui illis interesse recusarunt: neque expectatis Oratoribus Castellæ, & Angliæ, quos in via nouerant constitutos: nec auditi sunt multi sapientes, qui his decretis reclamauerunt, & ipsum Concilium propter hoc exierunt, vt aiunt Turrecremata lib. 3. de Potest. Eccles. cap. 99. & Caietanus in Quodlib. de Papa cap. 8. Denique, licet Papa Eugenius IV. approbauerit postea prædictum Concilium in suis Bullis, quoad eius inchoationem, & prosecutionem; nunquam tamen eius decreta approbauit: imo illa expresse reprobauit, & damnauit in libello, qui incipit: *Moyses Seruus Dei.*

Eug. IV. Conc. Basil decreta reprobauit.

Animaduersio II. de Pragmatica sanctione in hoc, & in Bituricensi Conciliabulo edita.

Pragmatica Sanctio, à Papa, & à Rege ipso fuit abrogata.

CIrca Pragmaticam sanctionem sciẽdum, quòd illa ad petitionem Pij II. Pontificis à Ludouico XI. Rege Franciæ abrogata est: quod ex eiusdem Ludouici XI. epistola ad præfatum Pontificem euidentissimè constat, quæ etiam inseritur sess. 4. Cõcilij Lateran. sub Iulio II. celebrati. vbi sic legitur: *Itaque sicut mandasti, Pragmaticam ipsam à Regno nostro, nostroque Delphinatu Viennensi, & omni ditione nostra penitus praesentes pellimus, deijcimus, stirpitusque abrogamus*. Idem fecit Iulius II. eadem sess. & Leo X. sess. IX. Vide latè de hac re in nostra

ſtra ſumma Conciliorum, annot. in Conciliab. Bituricenſe ſub anno 1438.

De Concilio Florentino.

ANno 1438. celebratum eſt Concilium Generale Florentinum, inchoatum quidem Ferrariæ V. idus Aprilis eius anni: ſed ingruente peſte translatum eſt Florentiam, vbi præfuit Eugenius IV. Interfuerunt in eo Ioſephus Patriarcha Conſtantinopolitanus, qui Florentiæ obijt, Ioannes Paleologus Imperator Orientis, & multi Latinorum, & Græcorum Epiſcopi. *Anno D. 1438*

In eo Concilio Græci vltimò cùm Romanis conuenerunt ſuper quinque fidei articulis, *Græci cum Latinis vniuntur.*

culis, videlicet.

De process. Spir. sancti. De processione Spiritus sancti, de quo conuenerunt, vt sicut Latini dicunt, *A Patre, Filioque procedit*; Græci more suo dicerent, *Ex Patre per Filium procedentem*: eo quòd vnus, idemque esset sensus.

De purgatorio. Et super articulo de Purgatorio conuenerunt; quia Græci Purgatorium esse post hanc vitam affirmant, sed non in certo loco; & in corporali igne, vt Latini.

De Primatu Rom. Pont. Et de tertio articulo nimirum, De Primatu Romani Põtificis super omnem Ecclesiã, consenserunt, Romanum videlicet Pontificem esse Summum totius Catholicę Ecclesię Pastorem, & Caput.

Item conuenerunt de quarto articulo, quòd Latini meritò addidissent Symbolo, *Filioque procedentem*.

Et

Et de quinto articulo, quòd Latini iustis de causis in azimo consecrarent; quamuis Græci suo modo in fermentato. *De consecrat. in azimo.*

In eodem Concilio Armeni se se ad Ecclesiam Romanam reduxerunt: receperuntque ab Eugenio IV. decretum Fidei, in quo breuiter continetur doctrina illa, quam habet Ecclesia Romana de septem sacramentis: nempe quod omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus, tanquam materia: verbis, tanquã forma, & persona ministri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia. Quorum si aliquid desit non perficitur Sacramentum. *Armeni ad Ecclesiam Latinam se se reducunt.* *Sacramentum trib⁹ perficitur, materia, forma & ministro, quorũ si vnum desit, Sacramentũ non perficitur.*

Deinde dat doctrinam sigillatim de quolibet Sacramento circa ea, quæ pertinent ad materiam, formam, ministrum, ef-

fectum,

fectum, & alia.

Forma cõsecrationis Corporis, & Sanguinis in Ecclesia Romana.

Et vltimò statuitur, quòd in cõsecratione corporis Christi hac vtatur forma Ecclesia Romana: *Hoc est enim Corpus meum*. Sanguinis verò: *Hic est enim Calix Sanguinis mei, noui, & aterni Testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.*

Durauit hoc Concilium partim Ferrariæ, partim Florentiæ anno vno, & mensibus tribus.

De

De Concilio Pisano tempore Iulij II.

ANno 1511. cùm Iulius Pontifex iuramento promisisset, se infra biennium suæ ordinationis, Vniuersale Concilium celebraturum, illudque iustè impeditus non præstitisset, Bernardus Caruajal, Guillelmus Brizonet, Renatus de Bria, Fredericus de S. Seuerino, (vt constat ex sess. 3. Concilij Lateran.) alijque Cardinales hæretici, atque schismatici, *conuenientes vt locusta* (inquit Iulius Papa in Bulla Indictionis Concilij Lateran. quę extat sess. 1.) *acephali aggressi sunt sine Romani Pontificis auctoritate Oecumenicum, Generale, atq. vniuersale Concilium conuocare,*

Anno 1511

Cardinales aliq hæretici Concilium Oecumenicũ conuocãt.

care, locum Concilij, & tempus indicere, & valuis Ecclesiarum, ac alijs publicis locis indictionem huiusmodi affigere; Nosque, ac venerabiles fratres nostros eiusdem S. R. E. Cardinales vocare, & requirere, vt per nos, vel alios ad huiusmodi eorum Concilium accedere vellemus, non formidarunt. Et subiungit ibidem Iulius *Ne verò hæc iniustè, & per tyrannidem agere viderentur, asserebant, decennium post vltimum vniuersale Concilium, contra Constitutionem Constantiensis Concilij iamdudum effluxisse, & Nos conuocare illud neglexisse, maximè cùm iurauissemus, & voluissemus illud post biennium à creatione nostra tenere: tempusque pro homine interpellare: neque credendum fore nostra auctoritate, & voluntate Concilium futurum. Et*

Causa cõuocationis Concilii.

cùm de grauibus criminibus notorijs durantibus vniuersalem Ecclesiam scandalizantibus, in capite agẽdum foret, ad Summum Pontificem Concilij congregationem non attinere, sed secundo loco ad Cardinales, qui Pontifici in negligentia non adhæserunt, conuocationem Concilij spectare. Hæc de causa indicti Conciliabuli Iulius Papa in Bulla, addens, eosdem ad tegendam facti sui turpitudinem, omnia mandata sua, nomine Maximiliani Imperatoris, & Ludouici Regis Francorum promulgasse; ipsis verò, Regi, & Imperatori, nihil hac de re constitisse.

Porrò, cùm ea temeritas, *Surius anno 1511. hæc subiungit*, ad horrendum schisma spectare videretur, Iulius Pontifex, datis ad eos litteris, monuit perbenignè, vt ad pacem, *Iulius Papa præfatos Cardd. ad meliorem frugẽ reuocare contendit.*

&

& vnitatem Ecclesiæ se reciperent: alioquin fore, vt vel inuitus in ipsos animaduerteret. Ea admonitio tres Cardinales permouit, vt cum Pontifice in gratiam redire maturarent, quos Pontifex liberaliter, & clementer accepit, in alios, cũ nollent ad sanitatem redire, grauem sanè tulit sententiam, qua illorum audacia nonnihil contusa est. Sed tamen cùm Regis Francorum fruerentur patrocinio, in sententia permanserunt. Monitus Gallus à Pontifice, vti ne eos foueret diutius, non magnopere curauit. Itaque à Pontifice excommunicatus est. Nõ longè aberat ab hac factione Maximilianus Cæsar, grauiter commotus in Pontificem, quòd non bona fide à se recessisset, & cũ Venetis fœdus percussisset: Sed vir grauis, & prudens admonitus à viris bonis, sese collegit

Card. tres resipiscũt.

Rex Frãcorũ quia Cardd. obstinatos fouerat, excommunicatur.

Imp. Maximil. monitus à Papa, à temeritate discedit.

legit

legit, & celeriter ab hac teme ritate discessit. *sic Surius*.

Galli successu rerum elati, Cæsare, & Cardinalibus, qui à Pontifice desciuerant auctoribus, Pontificē ad Concilium, quod ad Kalendas Septembris Pisis futurum esset, citant. Papa, cùm omnem operam dedisset, vt recepta Bononia, Pisanoq Concilio dimisso pacem cum Francorum Rege faceret, illumq. victoria insolentem, & obstinatissimè recusantē, animaduertisset, quo Pisanū Concilium tolleret, Antonij de Monte consilio, Romæ Lateranense Concilium Generale indixit. *Hæc Onuphrius.*

Iulius Papa ad Concilium citatur.

Papa Cōcilium Lateranum indicit.

Acta huius Conciliabuli ipso iure nulla, adeoq à Concilio Lateranensi reprobata fuerunt, eo vel maximè, quia solius Romani Pontificis sit Generalia, & Oecumenica Concilia indicere. Cùm enim Con- cilio-

Acta Cōc. reprobata.

Conc. Gen. Oecum. solus Papa indicere potest.

Conciliorũ auctoritas à Papæ auctoritate pendet.

ciliorum auctoritas ab auctoritate Summi Pontificis, velut à capite pendeat, ipsiusq; decreta nullum robur habeant; nisi sint à Sũmo Pontifice approbata. Ipseq. Pontifex eiusmodi decreta circa fidei dogmata, & corrigere, & damnare potest, quia Christi Vicarius est, & quia toti Ecclesiæ præsidet: cui cùm tota Ecclesia, velut Christo subiecta sit: vtique sine eo Generalia, & Oecumenica Concilia indici, & congregari non possunt. Quod apertè pronũciat Nicolaus I. epist. ad Michaelem Imperatorem circa medium, vbi sic dicit: *Romana Ecclesia collecta Concilia sua auctoritate firmat, sua moderatione custodit. Vnde quidam eorum quia consensum Romani Pontificis non habuerunt, valetudinem perdiderunt.* Pelagius quoque II. in epist. I. ad Episcopos

Pont. Concilii decreta corrigere, & dãnare pōt.

qui

qui Constantinopolim cum Ioanne Constantinopolitano Episcopo ad Concilium conuenerant, idem declarat his verbis: *Relatum est ad Apostolicam Sedem, Ioannem Constantinopolitanum Episcopum Vniuersalem se scribere, eosq. ex hac sua præsumptione ad Synodum conuocare Generalem, cùm Generalium Synodorum conuocandi auctoritas Apostolicæ Sedi B. Petri singulari priuilegio sit tradita: & nulla vnquam Synodus rata legatur, quæ auctoritate Apostolica non fuerit fulta.* Videant igitur fautores schismaticorum qua ratione hunc Conuentum malignantium defendant, atq Pontificem omni planè culpa hac in re carentem, incusent.

Conciliũ hoc ijsanti Conuentus maligantiũ fuit.

De Concilio Lateranensi V.

Anno D. 1512 ANno 1512. celebratum est Concilium Lateranense V. Generale, quod indictum est à Iulio II. contra Cõcilium Pisanum: nam Ludouicus XI. Francorum Rex Iulio II. grauiter succensus, eum Pontificia dignitate spoliare tentans, conciliauit sibi amicitiam Maximiliani Cæsaris, & vtriusque opera coactum est Pisis Concilium. Iulio enim Roma egrediẽte, aliquot Cardinales à debita Põtificis fide, pecunijs, & pollicitationibus Ludouici Regis subducti, Pisis, quò conuenerant, Generale Concilium Imperatoris Maximiliani, Ludouici Regis, & Cardinalium nomine indixerunt;

xerunt: missisque per Orbem terrarum literis, Iulium Pontificem ad dicendum in Concilio causam vocarunt, prorsus contra Canones, & Iura.

Huius Conciliabuli auctores fuerunt Bernardinus Caruajal Hispanus, Episcopus Cardinalis Sabinus: Gullielmus Brissoneta Gallus, Episcopus Cardinalis Prenestinus: Franciscus Borgia Hispanus, Archiepiscopus Consentinus: Reginaldus Bria Gallus, Episcopus Baiocensis Presbyter Cardinalis: Federicus Sanseuerinus S. Theodori Diaconus Cardinalis. *Ciliabuli auctores*

Pontifex nihil cunctatus, Generale Concilium indixit. *Papa Concilium generale indicit.*

In prima Sessione hortatus est Synodum ad Ecclesiæ reformationem, & Schismatis extinctionem: pacem inter Christianos Principes componendam: & expeditionem *Concilij acta.*

 contra

contra infideles. Mox annotatæ ; ſunt per Pontificum cauſæ non celebrati adhuc Concilij , cùm toties ante fuerit promiſſum, nec tamen vſque ad illum diem fuerit inchoatum.

Piſanum Conciliabulũ damnatur.

In 2. ſeſſ. legitur Bulla , in qua Piſanum Conciliabulum damnatur, & omnia in eo geſta annullantur, & irritantur.

In 3. ſeſſ. legitur Bulla, in qua iterum reprobãtur omnia, & ſingula per Cardinales Schiſmaticos acta, tam in Tranſalpinis, quàm in Ciſalpinis locis.

Pragmatica Sanctio annullatur.

In 4. Seſſ. legitur Bulla , in qua Pragmatica Sanctio , & geſta per Conciliabulum Piſanũ ſuper eadem annullãtur.

Pontificis electio abſque Simonia celebranda.

In 5. Seſſ. legitur Bulla innouationis, & confirmationis contra Simoniacam prauitatem in electione Pontificis non committenda In qua Sa-

cro approbante Concilio statuitur, quòd electio Romani Pontificis per Simoniam facta, eo ipso nulla existat: & sic electo nulla in spiritualibus, vel temporalibus tribuatur facultas. Et Cardinales, qui Simoniacè aliquem elegerint, à suis Ordinibus, dignitatibus, & beneficijs sint absque alia declaratione priuati. Mediatores etiam tam Clerici, quàm Laici cuiuscumque dignitatis sint, priuantur omnibus beneficijs, honoribus, & bonis eo ipso, & ad similia fiunt inhabiles.

Cardinales per Simoniam Pontific. in eligentes puniũtur.

Quatriduo post hãc sessionem Papa Iulius obijt, die scilicet 25. Febr. 1513. & die 11. Martij electus fuit Leo X. qui Concilium continuauit, & absoluit.

In 6. sess. fit electio Prælatorum, qui adsint cum Cardinalibus in his, quæ pertra-

ctanda sunt coram Pontifice.

Cardinales duo schismatici abiurato errore pristinę dignitati restituũtur.

In 7. Seſſ. leguntur literæ ſubſcriptæ per Bernardinum Caruajal, & Federicum de S. Seuerino, olim Cardinales ſuper materia abiurationis Schiſmatis, & vnionis Eccleſiæ, & confeſſionis erroris ipſorum, & veniæ petitionis propter ſuſcitatum ab illis ſchiſma. Qui poſt paucos dies in Palatio Apoſtolico priſtinę dignitati ſunt reſtituti in Cõſiſtorio ſecreto, poſt ſolemnẽ ſchiſmatis abiurationem, venientes ad Palatium tanquã priuati Clerici, & ante pedes Papæ, abiurato ſchiſmate alta, & intelligibile voce.

Anima vnica in homine, ipsaque immortalis.

In 8. Seſſ. decernitur, quòd anima hominis vnica ſit, ipſaque immortalis.

Cardinales in Curia Romana reſideant.

In 9. Seſſ. can. 6. ſtatuitur, vt Cardinales in Romana Curia reſideant, & qui ſunt abſentes, ſi in Italia, intra ſex

men-

menses: si extra Italiam infra annum à die publicationis præsentis Constitutionis, reuertantur. Et pro ratione dicitur, quòd eorum officium in primis versatur in frequenti Romani Pontificis assistentia, & Sedis Apostolicæ negotijs. Aliæ sessiones hic non summantur: sed pertinent ad mores.

Libri absque præuia examine non imprimantur.

In eadem Synodo statuitur vt in posterum libri non imprimantur, nisi prius examinati fuerint per eos, ad quos spectat.

Item prolata est Decretalis cũ censura excõmunicationis maioris contra inuadentes domos Cardinalium in noua Electione Romani Pontificis. Aliaque plura vtilia statuuntur.

Cõcilium hoc Lateranense, an fuerit Oecumenicum.

Obijciunt aduersarij, hoc Concilium non fuisse Oecumenicum, eo quòd Galliæ

Episcopi non interfuerint, impediti propter bellum quod tunc erat inter Iulium II. qui Cōcilium cogebat, & Regem Galliarum. Vel (vt referunt ipsi in literis ad Leonē, quæ habētur sess. 9.) impediti per Duces Mediolanensem, & Genuensem.

Illud diffiteri nō possumus, desideratos in hoc Concilio fuisse plures Episcopos Hispanos, Germanos, & præsertim Gallos qui in Conuentu Pisano adiuti ab aliquot Cardinalibus, Imperatore, & Rege Galliarum, Pragmaticę iniquæ in Sedem Apostolicam subscripserunt. Videtur autem eo nomine nonnullis displicuisse, tamquam præmaturam Concilij dissolutionem ac dimissionem, vt patet ex sess. vltima, quod maluissent plenius Episcopos prius conuenisse. Illud certum est,

quod

quod definitum est in illo Concilio, Pontificem esse supra Concilium, Montes pietatis esse licitos, nescio qua tergiuersatione à Catholicis quibusdam non ea veneratione fuisse receptum, qua Generalis Concilij à Pontifice habiti & confirmati Decreta suscipienda erant.

At non rectè vocatur in dubium huius Lateranensis Synodi auctoritas propter absentiam Gallorum: vocati enim fuerunt: & non satis iustam habuisse excusationem, apparet; quia Pontifex sess. 10. Oratori Regis Galliæ obiecit, Episcopos Gallos facilè potuisse venire Romam per Prouinciam, & Ianuam.

Itaq. vt Concilium sit Oecumenicum, sufficit, vt omnes Episcopi aduocentur, & vnicuique ipsorum licitus sit ad ipsum accessus: nec quis- *Cõcilium vt fit Oecumenicum, quid requirat.*

quam ipsorum excludatur: & vt reipsa ex maiori parte Christianarum Prouinciarũ aliqui conueniant: sicuti in præsenti Lateranensi factum est.

De Concilio Tridentino.

Anno 1545 ANno 1545. celebratum est Conciliũ Generale Tridentinum à Paulo III. hoc anno inchoatum, tribus Apostolicæ Sedis Legatis præsidentibus. Sed ingruentibus bellis, pesteque grassante, postea Bononiam anno 1547. translatum. Deinde sub Iulio III. è Bononia Tridentum: sed post octo menses, quàm continuari cœperat, bello Germanico imminente, anno Domini 1551. dissolutum. Tandem

dem sub Pio IV. anno salutis 1562. continuatum est, præsidentibus quatuor Legatis Sedis Apostolicæ, & præsentibus duobus alijs Cardinalibus: tribus Patriarchis: numero vno, & viginti Archiepiscopis: centum viginti Episcopis: septem Abbatibus, & septem Generalibus Religiosorum Ordinum Præfectis: Triginta nouem Procuratoribus absentium cum legitimo mandato.

Acta Concilij.

In eo, statim in principio facta (ex laudabili antiquorum Conciliorum consuetudine) suę fidei professione, vt quoddam quasi fundamentum futuris actionibus poneretur, & quibus testimonijs atque præsidijs in dogmatibus sanciendis nitendum esset, ostenderetur; Veteris ac Noui Testamenti libros, qui essent sine vlla dubitatione recipien-

Libri Canonici Sacrę scripturæ, qui.

di antiquorum Conciliorum probatissimorum exemplo piè, & prudenter Sancta Synodus enumerauit: ac ne de verbis quidem vlla ex varijs inuersionibus oriri posset difficultas, certam, ac definitam de Græcis, & Hebræis translationem, *Vulgatam* scilicet approbauit.

Vulgata Editio probatur.

Hinc omnium hæresum caput, atque arcem aggrediens de humanæ naturæ corruptis initijs ea statuit, quæ veritas ipsa, si loqui posset, exprimeret.

De peccato originali.

De iustificatione deinceps (res magna, & cùm ab antiquis; tum à nostris temporis hæreticis mirum in modum oppugnata) ea definiunt, quibus & perniciosissimis eo in genere opinionibus occurreretur, & rectè sentiendi ratio, miro quodam ordine, atque admirabili sapientia (vt

De iustificatione

in illis Dei Spiritum facilè agnoſcas) demonſtrantur. Præſtantiſſimo hoc poſt hominum memoriam decreto hæreſes ferè vniuerſæ iugulantur, & quaſi caligo ſole diſcutiuntur ac diſpelluntur, eaque claritas, iſque ſplendor veritatis apparet, vt tantum lumen quin videat, diſſimulare iam nemo poſſit.

De ſeptem Sacramẽtis.

Subſecuta eſt poſtea ſeptẽ diuinorum Eccleſiæ Sacramentorum tractatio, primùm ſimul de omnibus: poſt de vnoquoque ſeparatim; ſed diſtinctè vere tota cæleſtium horum myſteriorum ratio continetur. Vbi in tam magna, multiplicique doctrina quid aut ſequendum, aut fugiendum ſit, nemo poteſt quicquam deſiderare: nemo de Sacramentorum horum vi, atque virtute dubitare in poſterum poterit.

De Missæ Sacrificio, & de communione sub vtraq. specie.

Accesserunt ad hæc de Sacro Missæ Sacrificio, & de cōmunione sub vtraq. specie; & paruulorum decreta, quibus quidem nihil sanctius, nihil vtilius, vt de cœlo lapsa non ab hominibus composita videantur.

De Indulgentijs, Purgatorio Sanctorum, Imaginibus, et Reliquijs.

Adiungitur his certa de Indulgentijs, de Purgatorio de Sanctorum veneratione, inuocatione, Imaginibus, & Reliquijs doctrina, qua non solum hereticorum fraudibus, & calumnijs obsistitur, sed piorum etiam Catholicorum conscientijs planè fit satis. Hæc de rebus ad salutem nostram pertinentibus, quæ dogmata appellantur, faustè, ac fœliciter sunt perfecta; neq. aliud quidquam præterea eo in genere à nobis hoc tempore expectatur.

In eorum autem quibusdam administrandis, cùm nonnulla

essent,

essent, quæ non ritè omnino, ac rectè seruarentur, accuratissimè Sancta Synodus curauit, vt purè illa, & castè, atque ex more, institutoque maiorum tractarentur. Ita omnem superstitionem, omnem quæstum, omnem, vt dicunt, irreuerentiam à diuina Missarum celebratione abstulerunt. Vagis, ignotis, & criminosis Sacerdotibus, Sanctũ hoc offerre sacrificium, interdixerunt. Rei huius sacratissimæ vsum à priuatis domibus, & profanis, in sacra, & religiosa loca reuocarunt: molliores cantus, & symphonias, deambulationes, colloquia, negotiationes à templo Domini submouerunt. Ita Ecclesiastico vnicuique gradui leges illæ ab eis præscriptæ sunt, vt tradito illis diuinitus ordine abutendi, nullus vtique locus relinquatur.

De Sacramentorũ administratione.

Ita

De Matrimonij impedimẽtis. Ita nonnullis Matrimonii impedimentis, quæ ansam quasi quandam ad violanda Ecclesiæ præcepta dare videbantur, remotis, facilẽ veniæ consequendæ viam minus legitimè connubii fœdus ineuntibus intercluserunt.

De Matrimonijs clãdestinis. Quid de fortuitis, tenebricosisque matrimoniis commemorem? Et quidem ita sentio, si alia nulla causa conuocandi Concilium fuisset (quę multæ, & maximę fuerunt) propter vnam hanc id omnino fuisset faciendum. Nam cùm res hæc ad omnes spectet, neque vllus in Orbe terrarum vniuerso angulus reperiatur, quem labes hæc nõn inuaserit, curandum meritò fuisset, vt communi huic malo, communi etiam consilio prouideretur. Innumerabilium vtique, & grauissimorum delictorum, & scele-

rum occaſio prudentiſſima, ac propè diuina hac ſãctione penitus ablata eſt, & Christianæ Reipublicæ gubernationi ſapientiſſimè conſultum.

Abuſus omnes tolluntur.

Accedat ad hæc vtilis, in primis, ac neceſſaria multorum in Purgatorij, Sanctorum venerationis, inuocationis, Imaginum, & Reliquiarum, atque etiam Indulgentiarum ratione abuſuum interdictio, qui rerum ipſarum pulcherrimam faciem inquinare, atque turpare, mirum in modum videbantur.

De Eccleſiaſtica diſciplina reſtituenda.

Miniſtrorum Dei qualitates.

Altera verò pars, quæ de labenti, ac prope cadenti Eccleſiaſtica diſciplina fulcienda erat agendum, diligenter etiam abſoluta eſt, atque perfecta ſcilicet, vt eligantur in poſterum ad Eccleſiaſtica munera obeunda, qui virtute, non ambitione præſtent; quique populi commodi, non

suo inseruiant, & prosint potius quàm præsint.

De verbo Dei.

Vt enuncietur, atque explanetur frequentius, & studiosius Verbum Domini anci piti gladio penetrantius.

De vigilãtia, & residentia Pastorum.

Vt adsint suis gregibus, & inuigilent Episcopi, cæteriq. quibus animarum cura commissa est: neque extra creditam sibi custodiam vagent.

Priuilegia contraria Concilio Trid. tolluntur.

Nihil cuiquam prosint, aut ad impurè, & flagitiosè viuendum: aut ad malè, & perniciosè docendum, priuilegia. Nullum sine pœna crimen, nulla sine præmio virtus relinquatur.

De sacerdotib. pauperibus.

Pauperum, & Mendicantium Sacerdotum multitudini optimè prouisum est: certè vnusquisque Ecclesiæ, statutoque operi, vnde ali possit adscribatur.

Auaritia detestatur.

Auaritiá quo nullum vitium est tetrius, præsertim in do-

in domo Dei ab eo omnino tollatur: gratis Sacramenta omnia, vt par est, conferantur.

Ex vna Ecclesia plures: ex pluribus vna, vt populi commodum, & ratio postulabit, constituatur. *De vnione Ecclesiarum.*

Quæstores (vt appellant) qui sua, non quæ Iesu Christi quærentes, magnum nostræ Religioni damnum, magnam infamiam afferebant, ex omni hominũ memoria (quod summæ fœlicitatis loco ponẽdũ est) penitus euellãtur. *De Quæstoribus*

Deo optimo maximo cultus tribuatur purius, & accuratius: atque ita, qui ferunt vasa Domini mundentur, vt ad sui imitationẽ alios trahant. In quo illud præclarè est excogitatum, vt qui Sacris essent initiandi, ijs moribus, atque literis in vnaquaq. Ecclesia à prima ætate instituantur, vt quoddam *De cultu diuino.*

quasi

quasi virtutum omnium semi narium illud exiitat.

De prouincialibus Synodis, & visitatione

Iam verò Prouincialibus Synodis restitutis; Visitationibus ad populorum vtilitatem, non ad quærelam, & sumptum renouatis, tradita, Pastoribus regendi suos, atq. pascendi commodius facultate.

De hospitalitate.

Pœnitentia publicum in vsum reuocata. Hospitalitate tum Ecclesiasticis hominibus, tum pijs locis indicta.

De Curatis Ecclesiis prouidendis.

In Curatis Sacerdotijs cōferendis memorabili, ac pęnè cælesti ratione constituta. Beneficiorum (vt aiūt) pluralitate sublata. Hæreditaria Sāctuarij Dei possessione prohibita. Modo excommunicationibus imposito, ac terminato. Primis iudicijs ijs in locis, vbi lites oriuntur, assignatis. singularibus certaminibus interdictis. Omnium

nium, hominum, ac Sacrorum in primis, luxuriæ, cupiditati, atque licentiæ, fræno, quasi quodam; quod excuti non facilè possit, iniecto.

Regibus, ac Principibus sui muneris diligenter admonitis: aliisque rebus huiusmodi prudentissimè sancitis, finem sacro, & Oecumenico Tridentino Concilio ad laudem, & gloriam omnipotẽtis Dei, Ecclesiæ exaltationem, Principum Christianorum vnionem, morum prauorum emendationem, hęresumq. omnium extirpationẽ Patres gloriosè dederunt. *De Regibus, & Principib.*

Vnde talis Synodus omnium præcedentium Oecumenicorum Synodorum medulla, meritò dici debet, & quò magis inueterascet, eo magis in dies, eoque perennius efflorescet. *Concilium Trid. omnium præcedentium medulla.*

Bone Deus, quæ gentium

varie-

Qualitas eorum, qui ad Trid. Concilium celebrādū cōuenerūt.

tas, qui totius Orbis Episcoporum delectus: qui Regum & Rerum publicarum splendor, quæ medulla Theologorum, quæ sanctitas, quæ lachrimæ, quæ ieiunia, qui Flores Academici, quæ linguę, quanta subtilitas, quantus labor, quàm infinita lectio, quãtæ virtutū, & studiorum diuitiæ, augustum illud Sacrarium impleuerunt.

Intellexit hoc Cæsar, qui reuersis, ita gratulatus est. *Aluimus vos in schola optima.*

De

De Concilijs Generalibus non Oecumenicis, sed Nationalibus tantum.

Expediti vtcumque de Concilijs Generalibus Oecumenicis, de Nationalibus, quę, & quando celebrata sint, hic breuiter disseremus. Sunt autem quę sequuntur. *Nationalia Concilia quæ, & qñ celebrata sunt.*

Anno 1059. Nicolaus Papa II. Conuentum Episcoporum 113. apud Lateranum, habuit, in quo editus est Canon de eligendo Summo Pontifice, qui est apud Gratianum cap. *In nomine Domini.* distin. 23. vbi dicitur: *In primis Cardinales Episcopi diligentissimè simul de* *De Pont. eligendo.*

Ponti-

Pontificis electione consultent, mox Clericos Cardinales adhibeant, sicque reliquus Clerus, & populus ad consensionem nouæ electionis accedat, cauentes, ne venalitatis morbus aliqua occasione subrepat. Eligatur autem de ipsius Ecclesiæ gremio, si reperitur idoneus: sin minus, ex alio sumatur. Et postea subiungitur. *Electus autem sicut verus Papa, obtineat auctoritatem regendi* Roma*nam Ecclesiam, & disponendi omnes facultates illius: quod B. Gregorius ante suam consecrationem cognouimus fecisse*. In eodem Concilio statutum est de Clericorum castitate, & de Ordinatis Simoniacè. Ibique etiam Berengarius hæresiarcha conuictus, secundò condemnatus est.

Anno 1066. Alexander II.
apud

apud Melphim Generale Cõcilium conuocauit, fortaſſis ex omnibus Calabriæ, & Apuliæ Epiſcopis. Actum eſt in eo de cauſa Northmannorum. Pontifex Roberto Guiſcardo Ducatum Calabriæ, & Apuliæ, atq. Siciliæ Comitatum confirmauit: quod ante ecerat Nicolaus II.

Anno 1071. apud Lateranum, Conuentum etiam Generalem Epiſcoporum Idem Pontifex habuit contra Symoniacos.

Anno 1095. Vrbanus II. Placentinum Generale Concilium celebrauit: & ibi Gregorij VII. & Victoris 3. aduerſus Henricum III. Imp. & Clementem Antipapam, anathemata renouauit: Aliqua de Clericorum ordinatione ſanciuit. Et nouem Præfationibus, quibus Eccleſia in Miſſarum Sacrificijs vtitur, de-

cimam

cimam de B. Virgine addidit. *Et te in veneratione B. Virginis collaudare* &c.

Anno 1101. Paschalis II. Concilium Generale apud Lateranum coegit ex multis Occidentis Episcopis. Causa fuit controuersia, quæ fuerat inter Gregorium VII. & Victorem III. & inter Henricum II. Imper. qui contra Canones, & Iura vsurpauerat, sibi ius conferendi Episcopis, & Abbatibus annulum, & baculum, & alia insignia Pontificia.

Anno 1116. idem Paschalis Generalem Conuentum apud Lateranum habuit: vbi Pontifex retractauit concessionẽ Henrico datam, in his verbis: *Quæ Henrico tribui pro liberando Dei populo tribui: Iniquum priuilegium, quod in castris Henrici scripsi, tanquam irritum*

 perpe-

tuo anathemate damno. Vniuersi responderunt: Ita cuncti damnamus.

Anno 1119. Callixtus II. Conuentum Generalē habuit Rhemensem, Patrum 426. videlicet Episcoporum, & Abbatum, & inter cætera, præcepit Henrico III. vt Ius, quo Sacerdotia conferebat, omnino dimitteret, quia erat contra Canones, & iura, & antecessorum suorum decreta, super ea re facta, renouauit.

Anno 1131. Innocentius II. Rhemis Concilium Generale, ex Episcopis Transalpinis congregauit; in quo Anacletum Antipapam de integro condemnauit: & Ludouicum iuuenem, Ludouici Regis filium, Regia Franciæ corona 8. Kal. Nouembris ornauit.

Anno 1133. idem Pontifex habuit alium Conuentum Generalem, ex multis Episcopis,

uocauit, in quo pax est composita inter ipsum Alex. III. & Federicum Imperatorem I. quem, vt Catholicum Pontifex recepit, & eius filium Henricum electum in Regem Romanorum, & Imperatorem Augustum futurum.

Sunt, & aliqua alia Concilia, quæ licèt Prouincialia fuerint, auctoritate tamen Romani Pontificis, vel vsu Ecclesiæ sunt comprobata.

DE his Conciliis sic comprobatis Leo IV. scribens Episcopis Britanniæ, vt habetur c. de libellis. dist. 20. sic ait: *De libellis, & Commentarijs aliorum non conuenit laicos iudicare, & sanctorum Conciliorum Ca-*

nones relinquere, vel Decretalium regulas, quæ habentur quod nos simul cum Canonibus Ecclesiasticis utimur iudicijs, idest Apostolorum, Nicænorum, Ancyranorum, Neocæsariensium, Gangrensium Sardicensium, Africanensium, Carthaginensium.

Anno 314. celebrata est Ancyrana Synodus, in qua Patres decem, & octo statuerũt Canones 24. quorum Auctor maximè Vitalis Antiochenus Episcopus extitit.

Eodem anno, sed post, celebrata est Synodus Neocęsariensis: in qua Patres 17. statuerunt Canones 14. quorum auctor maximè fuit Vitalis Episcopus Salonitanus.

Anno 321. habita est Synodus Laodicena, in qua Patres 32. statuerunt Canones 59. quorum auctor Theodorus Episcopus extitit.

Anno 324. vel circiter habita est Synodus Gangrensis: in qua Patres 16. statuerunt Canones viginti.

Anno 340. celebrata est Synodus Antiochena, quæ à Gratiano cap. 11. dist. 16. inter Concilia Catholica recensetur; sed graui errore lapsus est, cùm ab Eusebianis, & Arianis ea coacta sit. Vide, quæ de hac re diximus supra in Concilio Generali Antiocheno, immediate post Nicænum I. posito.

Anno 393. Synodus Carthaginensis VI. coacta est, in qua Patres 228. statuerunt Canones 33. quorum auctor fuit, Aurelius Carthaginensis Episcopus, in qua Synodo sanctus Augustinus Hypponensis Episcopus legitur interfuisse, disputasseque, licèt adhuc Presbyter esset.

Anno 397. congregata est

Synodus Africana, seu Carthaginensis IV. in qua Patres 229 recitauerunt, & firmauerunt Canones 104. qui per diuersa Concilia Africanæ Prouinciæ tempore Aurelij Carthaginensis Episcopi leguntur esse conscripti.

Anno 314. Arelatensis Synodus coacta est sub Siluestro Papa, in qua Patres 200. statuerunt Canones 23. In qua quidem Synodo nomine Siluestri Papæ præsederunt Claudius, & Vitus Presbyteri, Eugenius, & Cyriacus Diaconi.

Anno 389. alia item Synodus Arelatensis coacta sub Siricio, in qua Patres statuerunt Canones, quorum Auctor fuit Cæsarius Episcopus Arelatensis.

Anno 524. alia item Arelatensis Synodus sub Ioanne in qua Patres plura vtilia de-

cre

creuerunt.

Anno 813. alia item Synodus Arelatensis habita est sub Leone III. Papa, in qua Patres 26. canones ediderunt ad Ecclesiasticam disciplinam reparandam.

Anno 506. Agathensem Synodum celebrarunt Patres 35 sub Præside Cæsario Arelatensi Episcopo, prout euincitur, & ex prima subscriptione & pariter ex Canone 73 Concilij Meldensis. Hic statuti sunt Canones 71.

Anno 529. Arausicana Synodus II. celebrata est sub Felice Papa IV. in qua Patres multa statuerunt contra Pelagium de gratia, & libero arbitrio.

Anno 540. Aurelianense Cōcilium congregatum est 25, Episcoporum, tempore Vigilij Papæ; in quo 26. canones habiti sunt.

Aurelianense item aliud eodem tempore habitum est, in quo 38. Canones editi sunt.

Anno 552. Aurelianense aliud sub eodem Vigilio, in quo 23. Canones statuti sunt.

Anno 588. Matisconensis Synodus coacta est, in qua omnes Metropolitani Episcopi, quotquot erant in Regno Gũtheramni, conuenerunt, & plura vtilia statuta sunt.

Anno 1095. sub Vrbano II. Aluernense, seu Claromontanum Concilium celebratum est, vbi expeditio pro Terra sancta recuperanda facta est: & multi Canones ad disciplinam Ecclesiasticam, sanciti sunt.

Item Lugdunense, in quo Patres 18. statuerunt Canones, quorum Auctor maximè fuit Philippus Viennensis Episcopus.

Item Lugdunense, in quo Patres 34. statuerunt Canones, quorum auctor maximè fuit Priscus Lugdunensis Episcopus.

Ex his constat, Canones Ancyranos, Neocæsarienses, Gangrenses, Africanos, & Carthaginenses in Romana Ecclesia Canonicam auctoritatem habere. cap. de libellis, dist. 20. item Canones Laodicenses auctoritatem habent, quia communi Ecclesiastico vsu approbati sunt. Item Mileuitana Synodus confirmata est auctoritate Innocentij. Arausicana II. auctoritate Fœlicis Papæ IV.

Arelatenses Synodi prima, secunda, & tertia, communi Ecclesiastico vsu receptę sunt, vt etiam Aurelianenses. Sic etiam Aluernensis, seu Claromontana Synodus. Insuper Bracarenses Synodi prima, se-

cunda, & Tertia. Septem Carthaginenses. Duodecim Toletanæ. Hispalensis prima, & secunda. Lugdunensis prima, & secunda. Matisconensis prima, & secunda. Antisiodorensis, in qua Canones 45. editi sunt. Agathensis, in qua Canones 71. conditi sunt. Valentina, in qua Canones sex editi in Hispania, communi vsu Ecclesiastico receptæ sunt.

Præterea multi summi Pontifices Romani Synodos celebrarunt, tum in Vrbe, tum etiam extra Vrbem in Italia, Gallia, Germania, quibus ipsi præfuerunt: quæ cùm ipsorum præsentia, & auctoritate coactæ, & absolutæ fuerint, Canonicam habent auctoritatem.

Et hæc de Concilijs compendiosè dicta sint.

Omnia

Omnia iudicio sanctæ Romanæ Ecclesiæ sunto.

Deo Iesu Christo æterno Dei Patris Filio
Laus, & gloria in æternum.

FINIS.

BVLLAE IN COENA DOMINI.

BREVIS EXPLICATIO.

AVCTORE

F. Francisco Longo à Coriolano
Capuccino.

ROMAE, Apud Andræam Phæum. 1624.
Sumptibus Io. Pauli Gelij.
SVPERIORVM PERMISSV.

GREGORIVS EPISCOPVS

Seruus Seruorum Dei,

Ad futuram rei memoriam.

PASTORALIS Romani Pontificis vigilantia, & sollicitudo, cùm in omni Christianæ Reipublicæ pace, & tranquillitate procuranda, pro sui muneris officio assiduè versatur, tum potissimùm in Catholicæ fidei, sine qua impossibile est placere Deo, vnitate, atque integritate retinenda, & conseruanda, maximè elucet: Nimirum, vt fideles Christi non sint paruuli fluctuantes, neque circumferãtur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, ad circumuentionem erroris; sed omnes occurrant in vnitatem fidei, & agni-

agnitionis filij Dei, in virum perfectum, neque se in huius vitæ societate, & communione lædant, aut inter se alter alteri offensionem præbeat: sed potius in vinculo charitatis coniuncti, tanquam vnius corporis membra sub Christo capite, eiusque in terris Vicario Romano Pontifice Beatissimi Petri successore, à quo totius Ecclesiæ vnitas dimanat, augeantur, in ædificationem, atque ita diuina gratia adiutrice, sic præsentis vitæ quiete gaudeant, vt futura quoque Beatitudine perfruantur. Ob quas sanè causas Romani Pontifices Prædecessores nostri hodierna die, quæ anniuersaria Dominicæ Cœnæ commemoratione solemnis est, spiritualem Ecclesiasticæ disciplinæ gladium, & salutaria iustitiæ arma per ministerium summi Apostolatus, ad Dei gloriam,

gloriam,& animarum salutem solemniter exercere consueuerunt. Nos igitur, quibus nihil optabilius est, quàm fidei inuiolatam integritatem, publicam pacem & iustitiam, Deo auctore, tueri, vetustum, & solemnem hunc morem sequentes.

§. I.

Excommunicantur Heretici cuiuscumque Secte, eorundemque fautores, libros legentes, tenentes, aut imprimentes, & Schismatici.

Excommunicamus, & anathematizamus, ex parte Dei Omnipotentis, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, Auctoritate quoq; Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, ac nostra quoscunq; Hussitas, Vviclephistas, Lutheranos, Zuinglianos, Caluinistas, Vgonottos, Anabaptistas, Trinitarios, & à Christia-

ſtiana fide Apoſtatas, ac omnes & ſingulos alios Hęreticos quocunq. nomine cenſeantur, & cuiuſcunque ſectę exiſtãt, ac eis credentes, eorumq; receptatores, fautores, & generaliter quoslibet illorum defenſores, ac eorundem libros Hæreſim continentes, vel de religione tractantes, ſine auctoritate noſtra & Sedis Apoſtolicæ, ſcienter legentes, aut retinentes, imprimentes, ſeu quomodolibet defendentes ex quauis cauſa publicè, vel occultè, quouis ingenio vel colore, necnon Schiſmaticos, & eos, qui ſe à noſtra, & Romani Pontificis pro tempore exiſtentis, obedientia, pertinaciter ſubtrahunt, vel recedunt.

Ex-

EXPLICATIO

HAereticos quocumque nomine &c. *Haereticus est ille, qui errorem habet aliquem contra fidem cum pertinacia.*

Ad effectum incurrendi hāc censuram, debet esse talis interiùs, & exteriùs, ideſt exteriori ſigno aliquo debet hæreſim manifeſtare, quam mente, & animo intus retineat. Et ſic vnum ſine alio non ſatis eſſet ad hanc cenſuram incurrendam. Vnde, qui hæreticus eſt tantum in mente ſua, nec vllo ſigno, vel verbo, vel facto expreſſit errorem, non eſt excommunicatus: poteſtque abſolui à quolibet confeſſario.

Triplex ergo conditio requiritur, vt excommunicatio hæc incur-

incurratur. Primo vt verbum, vel signum hæresim satis exprimat. Secundò vt exterior actus sit malus de se, & lethalis. Tertio, vt actus ille exterior hæresis confessio sit. Cathecumenus *non sufficitur huic censuræ, cùm solemniter fidem Catholicam, non sit professus in baptismo. Et ideo Ecclesia non potest in eum directè tanquam in membrum suum, iurisdictionem exercere. Vgol. Suar.*

Credentes &c. *Per hæc verba comprehenduntur omnes, qui credunt eorum doctrinis: qui licet explicitè errorem non habeant tamen implicitè: exempli gratia. Vnus habebat multos errores, & dicebatur Lutherus, alter erat rusticus, & nihil in particulari sciebat, sed dicebat, se velle mori in fide Lutheri; prior erat hæreticus, posterior dicebatur credẽs.*

Vel

Vel fauorem præstant, aut receptant hæreticos; *id est, in ordine ad suam hæresim docendam, defendendam, & huiusmodi.*

Libros. *Hic comprehenduntur etiam legentes partem libri non continentem hæresim, puta Indicem, vel epistolam ad Lectorem, & huiusmodi. Etiam paruus libellus. Etiam nondum typis excussus. Etiam in locis, in quibus hæresis impunè grassatur, quia Bulla hæc ligat omnes absque exceptione. Etiam quòd legens non intelligat sensum. Etiam si quis legat inspiciendo tantum, & non proferendo verba. Non tamen qui audit legentem; nisi eius auctoritate legeret.*

Qui verò legunt cæteros libros ab hæreticis compositos, non contrahunt huius Bullæ excommunicationem.

Scien-

Sciendum est etiam, quòd aliud est legere libros prohibitos tantùm, aliud libros hæreticorum. Qui legunt libros primi generis, non in excommunicat. sed in peccatum mortale, et in alias pœnas ab Episcopo infligēdas incurrūt. Qui vero hæreticorum libros legunt, in hanc excommunicationem incidunt.

Retinentes. *Aromatarii, & Lanij, qui cartis eiusmodi librorum inuoluunt obsonia, & comestibilia, quæ apud se habent venalia, incurrunt: non enim Bulla considerat qua mente tales libri retineantur.*

Nec nō Schismaticos. *Schisma est rebellis separatio ab Ecclesiæ capite, & Vicario Christi. Sunt autem duo necessaria ad peccatum hoc contrahendum. Alterum, vt homo se separet ab Ecclesiæ capite per inobe-*

inobedientiã. Alterum, vt hoc cum rebellione quadã faciat, nimirum pertinaciter ipsius iudicium subire nolendo, eiusque præceptum contemnendo.

Est autem aliquando Schisma coniunctum cum hæresi, quando homo opinatur, Pontificem Rom. non esse Christi Vicarium, nec Caput totius Ecclesiæ. Sine hæresi autem est, quando interius quidem non negat, eum esse Caput, tamen malitia non vult ipsum recognoscere. Vnde omnis hæreticus est etiam schismaticus: sed non è contra.

Et eos, qui se à nostra &c. *Personæ illæ hic comprehenduntur, quæ ab obedientia Romani Pont. pro tempore existentis, pertinaciter se subtrahunt, aut ab ea recedunt. Non significantur hinc Schismatici, cùm de talibus paulò ante dixerit, sed significantur, qui mandato*

dato Romani Pont. pertinaciter idest, scientes esse tale mandatum, nolunt obedire. Nec hoc ad schisma satis est: nam schisma est quando homo in totum à iudicio, & obedientia Romani Pont. se subtrahit, opere ipso non recognoscendo eum superiorem. Hac ergo censure ligantur pertinaciter inobedientes; licèt Schismatici non sint.

§. 2.

Appellantes à Pont. ad futurum Concilium, eorumque fautores.

Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & singulos cuiuscunq; status, gradus, seu cõditionis fuerint; Vniuersitates verò, Collegia, & Capitula, quocunq; nomine nuncupentur, interdicimus: ab ordinationibus, seu mandatis nostris, ac Romanorum Pon-

Pontificum pro tempore existentium, ad vniuersale futurum Concilium appellantes, nec non eos, quorum auxilio, consilio vel fauore appellatum fuerit.

AD hanc censuram incurrendam, necessaria est appellatio ipsa actu secuta. Non incurritur autem per fauorem, aut auxilium præstitũ post appellationem. Neque sat est, quòd interponeretur appellatio fiducia talis auxilij, vel fauoris futuri, nisi prius aliqua promissio de ipsis præstandis facta fuisset. Suar. Non *incurritur per consulentes appellationem istam, vt sentit Suarez contra Vgolinum; cùm in grauissimis pœnis non sit facienda extensio de casu ad casum.*

Duo verba sunt in hoc §. scilicet excommunicamus, &

interdicimus. Prius refertur ad perſonas: poſterius ad vniuerſitates, Collegia, & Capitula; quæ non poſſunt excommunicari, vt habetur in cap. Romana, de ſent. excom. in 6.

§. 3.

Piratæ, atque eorum receptatores, & fautores.

Item excommunicamus, & anathematizamus omnes Piratas, Curſarios, ac Latrunculos maritimos diſcurrentes mare noſtrũ præcipuè à Monte Argentario vſq; ad Terracinam: ac omnes eorum fautores, receptatores, & defenſores.

PIratam faciunt tria. Primum quando indifferenter, omnes ſpoliat, nec reſtringit ad vnam aliquam nationẽ. Secundum, Intentio principalis hoc ſcelus exercendi. Ali-

qui verò dicunt, hoc non esse necessarium. Tertium, quod indictum non sit bellum contra eos, quos spoliare intendit.

Non omnes piratæ hic cõprehenduntur, sed discurrentes mare Romani Pont. Nec afficiuntur hac censura qui in terris deprædantur: etiam si postea in mari se abscondant in nauibus suis. Nec afficiuntur nostri, deprædantes Infideles.

Receptatores, fautores, & Defensores. *Hanc non includuntur nostri remigare coacti in triremibus infidelium spoliando Christianos. Vgol. Nec consulentes, cum ipsi non sint propriè fautores.*

§. 4.

Naufragorum Christianorum cuiuscunque generis bona, etiam in littoribus inuenta surripientes.

Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & ſingulos, qui Chriſtianorum quorumcunq;nauibus, tempe ſtate, ſeu in tranſuerſum (vt dici ſolet) iactatis. vel quoquomodo naufragium paſſis, ſiue in ipſis nauibus, ſiue ex eiſdem eiecta in mari, vel in littore inuenta cuiuſcunq;generis bona, tam in noſtris Tyrreni,& Adriatici,quàm in cæteris cuiuſq; maris Regionibus, & littoribus ſurripuerint. Ita vt nec ob quodcunq; priuilegium,conſuetudinem, aut longiſſimi etiam immemorabilis temporis poſſeſſionem, ſeù aliũ quemcunq; prætextum excuſari poſſint.

INcurrit hanc cenſuram, qui animo bono, ſcilicet, vt ea ſeruet Domino ſuo, ſibi accipit:ſed poſtea mutato animo

mo, ea retinet uti propria. Suar. Sicut eadem non euadit, qui malo animo ea aufert: licèt postea ea restituat.

Non incurrit surripiens res hostium, cum quibus bellum gerit. Vgol. Nec surripiens res Christianorum, quæ portantur ad hostes nominis Christiani contra probibitionem Ecclesiæ. Neque consulentes, mandantes, fautores, receptatores, aut defensores. Nec surripiens bona derelicta, quæ Dominus non fuisset amplius repetiturus. Ea tamen restituere tenetur domino suo.

§. 5.

Imponentes noua pedagia, & gabellas, vel eas augentes

Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, qui in terris suis noua Pedagia seu Gabellas, præterquam in

casibus sibi à iure, seu ex speciali Sedis Apostolicæ licentia, permissis, imponunt, vel augent, seu imponi, vel augeri prohibita exigunt.

Incurritur hac censura etiam si in territorijs suis, & ipsorum quacumque parte imponantur talia pedagia. Vgol. Et incurritur statim ac fuerit imposita, etiam nondum exacta.

Non incurritur, si imponens non recognoscit Superiorem in temporalibus. Etiam si iniustas gabellas imponat. Vgol.

Exigentem. *Hoc verbum importat etiam petentem ea tanquam debita ab eo, qui nollet ea soluere, si posset. Si quis acciperet huiusmodi gabellas, seu pedagia à sponte soluentibus, non esset excommunicatus, quia non exigit. Nau. cap. 27. num. 61. In his verò, qui*

sine

sine auctoritate imponunt gabellas, sunt excommunicati exigentes, & accipientes à sponte soluentibus. Tol. Non prohibentur autem hic onera & tributa, quatenus essent stipendium iustum pro aliquo negotio: vtpote, si indigeret Clericus, vel duce via, vel nauicula ad transeundum in flumine, tunc iustè exigeretur merces, & stipendium ducatus via, vel nautæ. Caiet. hic. cap. 39.

§. 6.

Falsificantes litteras Apostolicas, aut supplicationes à quocunque auctoritatem habente signatas falsò fabricatas.

Item excommunicamus, & anathematizamus, omnes falsarios litterarum Apostolicarum, etiam in forma Breuis,

ac Supplicationum gratiam, vel iustitiam, concernentium, per Romanum Pontificem, vel S.R.E. Vicecancellarios, seu gerentes vices eorũ, aut de mandato eiusdem Romani Pontificis signatarum: necnon falsò fabricãtes litteras Apostolicas, etiam in forma Breuis, & etiam falsò signantes, Supplicationes huiusmodi sub nomine Romani Pontificis, seu Vicecancellarij, aut gerentium vices prædictorũ.

Forma breuis. *Communiter dicitur, has esse litteras, quæ à solis secretarijs conficiuntur, & per Papam signantur in cera rubea annulo piscatoris.*

Hanc censuram incurrunt quicunque falsauerint, etiam si non vtantur. Incurrunt etiam, qui falsificant supplicationes, gratiam, vel iusti-

tiam

tiam concernentes, per Romanum Pont. aut per Vicecancellarium, aut per eorum Locumtenentes, aut de Romani Pont. auctoritate signatas.

Item, falsò fabricantes litteras Apostolicas, etiam in forma Breuis.

Item, falsò signantes supplicationes huiusmodi, sub nomine Romani Pont. seu Vicecancellarij, aut eorum Vices gerentium. Qui verò habent tales litteras falsas, eis tamen non vtuntur, non incidunt in hanc excommunicationem: nisi tamen intra viginti dies, postquam sciuerint esse falsas, eas lacerauerint, aut resignauerint, sunt excõicandi per Ordinarium (& semel excommunicati, non possunt nisi à Papa absolui.) non autem sunt ipso facto excommunicati. Ita habetur in cap. dura. de crim. falsi. In quo capi-

te excommunicati sunt ipso iure, qui litteras Apostolicas accipiunt ab alio, quàm à manibus Papæ, vel Officialium: nisi sint magnates, qui per internũciũ possũt accipere. Tol.

§. 7.

Deferentes arma, & alia vsui belli idonea ad Turcas, vel alios Christiani nominis inimicos: & ad Reip. Christianæ statum pertinentia ijsdem in damnum Christianorum nunciantes.

Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui ad Saracenos, Turcas, & alios Christiani nominis hostes, & inimicos, vel Hæreticos per nostras, siue huius Sanctæ Sedis sententias expressè & nominatim declaratos, deferunt, seu transmittũt equos, arma, ferrum, filũ ferri, stamnũ, chalybem, omniaq.

alia

alia metallorum genera, atq. bellica instrumenta, lignamina, canapem, funes, tam ex ipso canape, quàm alia quacunque materia, & ipsam materiam, aliaq; huiusmodi, quib. Christianos, & Catholicos impugnant: necnon illos, qui per se, vel alios de rebus statum Christianæ Reip. concernentibus, in Chistianorum perniciem & damnum, ipsos Turcas, & Christianæ Religionis inimicos, necnon hæreticos, in damnum Catholicæ Religionis, certiores faciunt, illisq; ad id auxilium, vel fauorẽ quomodolibet præstãt. Non obstantibus quibuscunque priuilegijs, quibusuis personis, Principibus, Rebuspublicis, per nos & Sedem prædictam, hactenus concessis, de huiusmodi prohibitione expressam mentionem non facientibus,

Christiani subditi Turcarum fabricantes arma in terris ipsorum infidelium, eaque nec non equos illis vendentes eo fine, vt ad licitos vsus eis vtantur, in hac censura regulariter non comprehenduntur. Dixi, regulariter, *quia secus esset, si ea expressè fabricarent, vel venderent, tanquam ea futura ad bellum iniustum contra Christianos.*

Non incurrunt deferentes causa redimendi captiuos de manibus ipsorum infidelium, per cap. significauit. de Iudais. vna enim lex aliam declarat. Hoc autem non procedit, vbi alia ratione posset fieri redemptio captiuorum. Et similiter quòd tunc temporis non sit bellum inter nos, & infideles: Et tandem in parua quantitate.

Excommunicantur pariter hic, qui de rebus ad statum

Reipu-

Reipublica Christiana pertinentibus, certiores, faciunt prædictos hæreticos, aut infideles in perniciem, & damnum Christianorum.

Auxilium. *Christiani remigantes in triremibus Turcarum contra Christianos, non incurrunt hanc censuram, cũ per vim id faciant, & mortis necessitate ducti; incurrunt benè peccatum mortale, iuxta Nau. & Suar. Sed veriùs videtur eos, nec mortaliter peccare quia actio illa indifferens est. Petr. de* Nau. *Lopez. Azor post Adrian. & Cordubam,* I*nsuper si contingat, præfatos remigantes accipere bona Christianorum ob eundem metum, excusat eos à mortali. Molina de iust. tract. 2. disput. 95.*

§.8.

§. 8.

Impedientes eos, qui victualia, & alia necessaria Romam conuehunt.

Item excommunicamus, & anathematizamus omnes impendientes, seu inuadẽtes eos qui victualia, seu alia ad vsũ Romanæ Curiæ necessaria adducunt: ac etiam eos qui ne ad Romanam Curiam adducantur vel afferantur, prohibent, impediunt, seu perturbant, seu hæc facientes defendunt per se, vel alios, cuiuscunq; fuerint ordinis, præeminentiæ, conditionis, & status, etiam si Pontificali, seu Regali, aut alia quauis Ecclesiastica, vel mundana præfulgeant dignitate.

Hæc censura non afficit Principem, vel Republi-

cam

eam iustè sibi prospicientem, ac propterea inhibentem, ne victualia è suis finibus extrahantur, vt Romam deportentur; non enim malè agerent.

Romanam Curiam. *Intellige, vbicunque illa sit. Et Rom. Curia continet omnes, etiam infimos famulos, Curiæ inseruientes.*

Non afficit clàm furantes aliquid his, qui Romam deferunt huiusmodi victualia. cùm aliud sit furari, aliud inuadere, vel impedire. secus tamen, si itinera obsiderent, apertaque vi eos spoliarent. Vgol.

§. 9.

Ad sedem Apost. venientes, vel ab ea recedentes, sua aut aliorũ opera lædentes & sine iurisdictione vexando in Curia commorantes.

 Item

Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui ad Sedem Apoſtolicã venientes, & recedentes ab eadem, ſua, vel aliorum opera, interficiunt, mutilant, ſpoliant, capiunt, detinẽt. Nnecnõ illos omnes, qui iuriſdictionem ordinariam, vel delegatam à Nobis, vel noſtris iudicibus non habentes, illam ſibi temerè vendicantes, ſimilia contra morantes in eadẽ Curia audent perpetrare.

Hanc cenſuram incurrũt offendentes, eos qui ad Sedem Apoſtolicam accedunt, vel recedunt ab ea, cauſa cuiuſcumque negotii cum ſede Apoſtolica ſiue cum Romano Pontifice petractandi. Etiã ſi ſic accedentes ſint Infideles. Et tot cenſuræ incurruntur, quot perſonæ, offenduntur.

§. 10.

§. 10.

Romipetas, ac peregrinos etiam in vrbe morantes, abeuntes lædentes.

Item excommunicamus,& anathematizamus omnes interficientes,mutilantes, vulnerantes,detinentes, capientes,seu deprædantes Romipetas,seu peregrinos ad Vrbem causa deuotionis, seu peregrinationis accedentes, & in ea morantes, vel ab ipsa recedentes,& in his dantes auxilium,consilium, vel fauorem

Incurrunt hanc censuram, offendentes Romanos ciues, qui extra Vrbem in proprijs Oppidis morantes, aliquando deuotionis causa ad Vrbẽ se transferunt, etiam si non sint peregrini, cùm verè sint Romipetæ. Etiam & Curia Roma-

mana, vel Romanus *Pontifex ibi non sit. hac.n.censura considerat accessum ad Vrbem. non etiam ad eius Curiam.*

Incurrunt pariter, qui clam accipiunt bona ipsorũ Romipetarum.

Et etiam incurrunt, deprædantes mortuum Romipe*tam. Nald. contra Vgolinum. Vnde etiam Felinus in capitulo à nobis. 2. de sent.excom. tenuit, percussorem Clerici mortui, affici pœna excommunicationis, lata in Can. si quis suadente. 17. q. 4.*

§. II.
Offendentes S. R. E. Cardd, & alios Prælatos.

Item excommunicamus, & anathematizamus omnes interficientes, mutilantes, vulneran-

nerantes,percutientes,capiẽtes,carcerantes, detinentes, vel hostiliter insequentes S. R.E. Cardinales,Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sedisq; Apostolicæ Legatos, vel Nuncios, aut eos à suis diœcesibus, territorijs, terris, seu dominijs eijcientes. Necnon ea mandantes,vel rata habentes,seu præstantes in eis auxilium, consilium, vel fauorem.

Hostiliter insequẽtes. *Per quæ verba; punitur sola insecutio hostilis; etiam non secuto opere alicuius offensionis corporalis: quamuis non satis essent verba iniuriosa.*

Episcopus. *intellige, consecratus,non electus solum, qui simpliciter non dicitur Episcopus.*

E suis locis eiicientes: *intellige*

tellige loca, tam dignitatum Ecclesiarum, puta in quibus Legationem habent, aut dominium; quàm etiam ab illis, in quibus nati sunt, aut domicilium habent. Suar. contra Vgol.

§. 12.

Ad Rom. Curiam pro negotijs suis recurrentes per se vel per alios lædentes.

Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui per se, vel per alios, personas Ecclesiasticas quascunque, vel seculares ad Romanam Curiam super eorum causis, & negocijs recurrentes, ac illa in eadem Curia prosequentes, aut procurantes, negotiorumq; gestores, aduocatos, procuratores, & agẽtes, seu etiam Auditores, vel Iudices super dictis causis,

vel

vel negocijs deputatos, occa
ſione cauſarum, vel negotio-
rum huiuſmodi, occidunt, ſeu
quoquomodo percutiunt, bo
nis ſpoliant, ſeu qui per ſe,
vel per alios directè, vel in-
directè delicta huiuſmodi
committere, exequi, vel pro-
curare, aut in eiſdem auxiliũ,
conſilium, vel fauorem præ-
ſtare non verentur cuiuſcun
que præeminentiæ & dignita
tis fuerint.

*Hic adeo vniuerſalis eſt per
ſonarũ qualiates, quæ offendi
prohibetur, vt etiã infidelis;
& Iudæus hoc priuilegio gau
deat. Punitur autem hic illa
offenſio ſolùm, ſi pro occaſio-
ne cauſarum, & negociorum
Curiæ Romanæ fieret. Incur
ritur autem hæc cenſura vbi
cumque eſſent Iudices, vel
Auditores deputati ſuper ne
gocÿs, & cauſis Curiæ Roma*

næ cum sæpè extra ipsam causæ cognoscendæ committi soleant.

§. 13.

Appellantes à grauamine, vel futura executione litterarum Apostolicarum ad laicam potestatem.

Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, tã Eccesiasticos, quàm seculares cuiuscunq; dignitatis, qui prętexentes friuolam quandam appellationem à grauamine, vel futura executione littera rum Apostolicarum, etiam in forma Breuis, tam gratiam, quàm iustitiam concernẽtiũ; necnon citationum, inhibitio num, sequestrorum, monito riorum, processuum, executo rialium & aliorum decretorum à nobis & à Sede prædi cta, seu Legatis, Nuncijs, Præ siden-

ſidentibus, Palatij noſtri & Cameræ Apoſtolicæ Auditoribus, Commiſſarijs, alijsque iudicibus, & delegatis Apoſtolicis emanatorum, & quæ pro tempore emanauerint, aut alias, ad Curias ſeculares & laicam poteſtatem recurrunt, & ab ea, inſtante etiam Fiſci procuratore, vel aduocato, appellationes huiuſmodi admitti, ac literas, citationes, inhibitiones, ſequeſtra, monitoria, & alia prædicta capi, & retineri faciunt: quivè illa ſimpliciter, vel ſine eorũ beneplacito & conſenſu, vel examine executioni demandari; aut ne tabelliones, & notarij ſuper huiuſmodi literarum, & proceſſuum executione inſtrumenta, vel acta conficere, aut confecta parti, cuius intereſt, tradere debeant; ac etiam partes ſeu eorum agentes, conſanguineos, affi-

nes

nes,familiares,notarios,executores & subexecutores literarum citationum, monitoriorum, & aliorum prædictorum,capiunt,percutiunt, vulnerant, carcerant, detinent, ex ciuitatibus,locis,& regnis eijciunt, bonis spoliant, perterrefaciunt, concutiunt, & comminantur,per se,vel aliũ, seu alios,publicè,vel occultè, quiuè alias quibuscunq;personis in genere,vel in specie; ne pro quibusuis eorum negotijs prosequendis,seu gratijs, vel literis impetrandis ad Romanam Curiam accedant, aut recursum habeant, seu gratias ipsas,vel literas à dicta Sede impetrent,seu impetratis vtantur, directè, vel indirectè prohibere,statuere seu mandare;vel eas apud se: aut notarios, seu tabelliones vel alias quomodolibet retinere præsumunt.

Hanc

Hanc censuram incurrunt tam sæculares, quàm Ecclesiastici eam violantes, & tam publica, quàm priuata auctoritate impedientes. Etiam indirectè impedientes executionem, recursum, & cætera hic expressa.

Non incurrerent, qui offenderent hic nominatos, alia ratione, vel occasione quàm causarum, aut negociorum in Curia Romana: puta, si quis eos verberaret ex priuata inimicitia: vel ex auaritia eos bonis spoliaret.

§. 14.

Executionem liter. Apostolic. aut aliorum expeditionum impedientes, & probibentes ad gratias impetrandas accedentes.

Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, &

 sin-

ſingulos,qui per ſe, vel alios auctoritate propria, ac de facto,quorumcũque exemptionum, vel aliarum gratiarum & litterarum Apoſtolicarum prætextu,beneficiales,& decimarum, ac alias cauſas ſpirituales, & ſpiritualibus annexas ab Auditoribus,& Commiſſarijs noſtris,alijsq; Iudicibus Eccleſiaſticis auocant illarumvè curſum, & audientiam, ac perſonas, Capitula, Conuentus, Collegia cauſas ipſas proſequi volentes impediunt,ac ſe de illarum cognitione tanquã iudices interponunt. Quiue partes actrices, quæ illas committi facerunt & faciunt,ad reuocandum, & reuocari faciendum,citationes,vel inhibitiones,aut alias litteras in eis decretas, & ad faciendum,vel conſentiendũ, eos,contra quos tales inhibitiones emanarunt, à cenſuris

&

& poenis in illis contentis absolui, per statutũ, vel aliàs compellunt, vel executionem litterarum Apostolicarũ, seu executorialium processuum, ac decretorum prædictorum quomodolibet impediunt, vel suum ad id fauorem, consiliũ, aut assensum præstant, etiam prætextu violentiæ prohibẽdæ, vel aliarum prætensionũ, seu etiam donec ipsi ad Nos informandos, vt dicunt, supplicauerint, aut supplicari fecerint, nisi supplicationes huiusmodi corã Nobis, & Sede Apostolica legitimè prosequantur, etiam si talia cõmittentes fuerint Præsidentes Cancellariarum, Consiliorum, Parlamentorum, Cancellarij, Vicecancellarij, Consiliarij ordinarij, vel extraordinarij quorumcunque Principum secularium, etiã si Imperiali, Regali, Ducali,

vel alia quacunque præfulgeant dignitate, aut Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Commendatarij, seu Vicarij, fuerint.

Comprehenduntur hic tã laici, quàm Ecclesiastici contrafacientes. Si enim Ecclesiastica persona praeßet alicui foro laico, & ad suum tribunal euocaret causam spiritualem à Iudicibus Romanæ *Curiæ, hanc censuram incurreret; non enim tunc, vt persona Ecclesiastica id ageret, sed vt laica.*

Aliisque Iudicibus Ecclesiasticis. *Hic includuntur omnes Iudices Ecclesiastici etiam Romanæ Curiæ.*

Auocant. *Scilicet auctoritate iudiciaria, simulque prætextu litterarum Apostolicarum. Et sic haec censura supponit, eiusmodi litteras præ-*

ten-

tensas, esse nullas.

§. 15.

Iudices saeculares, qui Ecclesiasticas personas trahunt ad sua Tribunalia: quiq. Ecclesiasticam libertatem tollunt, aut in aliquo perturbant.

Quiuè ex eorum prætenso officio, vel ad instantiam partis, aut aliorũ m quorumcunque, personas Ecclesiasticas, Capitula, Cõ uentus, Collegia Ecclesiarum quorumcunq, coram se ad suum tribunal, Audientiam, Cancellariam, Consilium, vel Parlamẽtum, præter Iuris Canonici dispositionem, trahunt, vel trahi faciunt, vel procurant directè vel indirectè, quouis quæsito colore; Nécnõ qui statuta, ordinationes, constitutiones, pragmaticas, seu quæuis

alia decreta in genere, vel in specie, ex quauis causa, & quouis quæsito colore, ac etiam prætextu cuiusuis consuetudinis, aut priuilegij, vel alias quomodlibet fecerint, ordinauerint, & publicauerint, vel factis, & ordinatis vsi fuerint, vnde libertas Ecclesiastica tollitur, seu in aliquo læditur, vel deprimitur, aut aliàs quouis modo restringitur, seu Nostris & dictæ Sedis, ac quarumcumque Ecclesiarum iuribus quomodolibet directè, vel indirectè, tacitè, vel expressè præiudicatur.

Quiuè. *Hoc verbum comprehendit etiam Ecclesiasticos contrauenientes.*

Vel indirectè. *Satis largè possunt intelligi.*

Præter iuris Canonici iurisdictionem. *Secundum quã Clericus potest ad forum sæcu*

lare

lare trahi. 1. vbi clericus succedit in causam, iam cœptam coràm iudice sæculari. 2. quãdo clericus habet feudum à laico, nam tunc coràm ipso conueniri potest in caussis pertinentibus ad feudum. 3. quando ob reconuentionem trahitur in causa ciuili: in qua tamen reconuentione, si clericus condemnatus fuerit, executio fiat per Ecclesiasticum. 4. quando clericus esset degradatus. 5. Et tandem, quando agitur causa publicationis testamenti à laico facti; in quo clericus institutus est hæres: illa enim publicatio proculdubio fieri debet coràm Iudice sæculari. Non incurrit autem hanc censuram trahens, seu ad cuius instantiam trahit. Iudex laicus personam Ecclesiasticam ad suum tribunal.

Necnon, qui statuta. *Com-*

prehendunt etiam Notariũ, scribentem eiusmodi statuta. Suar. præstat enim auxilium.

Incurrunt hanc censuram personæ particulares illius Communicatis; quæ huiusmodi statuta fecerit.

Libertas Ecclesiastica. *Illud dicitur cõtra libertatẽ alicuius, per quod ille efficitur timidior. Et ideo statuta illa, per quæ efficiuntur Clerici timidiores, non nisi manifestè aduersari videntur ipsorum libertati.*

§. 16.

Impedientes Prælatos, ne sua iurisdictione vtantur quique illorum, & delegat. iudicia eludentes, ad Curiam secul. recurrunt, aut contra illos decernunt, præstantque auxilium.

Nec nõ qui Archiepiscopos

Epis-

Episcopos,aliosq; superiores, & inferiores Prælatos, & omnes alios quoscunq;iudices Ecclesiasticos ordinarios quomodolibet hac de causa directè, vel indirectè carcerando, vel molestando,eorum agẽtes,procuratores,familiares,necnon consanguineos, & affines, aut aliàs impediunt, quo minus sua iurisdictione Ecclesiastica contra quoscunq; vtantur,secundum quòd Canones, & sacræConstitutiones Ecclesiasticæ,& decreta Conciliorum generalium,& præsertim Tridẽtini,statuũt; ac etiam eos qui post ipsorum Ordinariorum, vel etiam ab eis delegatorum quorumcunque sententias, & decreta,aut aliàs fori Ecclesiastici iudicium eludentes, ad Cancellarias &alias Curias seculares recurrunt, & ab illis prohibitiones,& mandata,etiã pœnalia Ordinarijs, aut dele-

gatis prædictis decerni, & cõtra illos exequi procurant, eos quoq; qui hęc decernunt, & exequuntur, seu dant auxilium, consilium, patrocinium, & fauorem in eisdem.

Incurrunt hanc censuram quicunque impediunt Prælatos omnes Ecclesiasticos, & Vicarios Episcoporum: nec non Priores, ac Superiores Regulares iurisdictionem fori exterioris gaudentes. Non incurrunt, si tantum præmio vel precibus suadeant, ne sua iurisdictione Ecclesiastica vtantur: cùm hoc verè non sit impedire.

Exequi procurant. *Ad incurrendam hanc censuram necesse est, vt qui recurrunt ad Iudices sæculares, procurent etiam mandata: & postremò eadem etiam exequi procurent. hæc.n. copulatiuè requi-*

runtur

runtur ad effectum incurrendi hanc censuram.

§. 17.

Vsurpantes Sedis Apostolicæ, & quorumcunque Ecclesiast. iurisdictiones, vel etiam fructus sequestrantes.

Quiuè iurisdictiones, seu fructus, redditus, & prouentus ad Nos, & Sedem Apostolicam & quascunque Ecclesiasticas personas ratione Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorū beneficiorum Ecclesiasticorum pertinentes vsurpant, vel etiam quauis occasione, vel causa, sine Romani Pontificis, vel aliorum ad id legitimam facultatem habentium, expressa licentia, sequestrant.

Incurrit omnis contrafaciens huic censuræ, etiam si sit Imperator, vel Cardinalis

Incurrit vsurpans bona etiã Ecclesiæ vacantis, siue Romanæ, per illa verba, Ad sedem Apostolicam, *quæ nunquam moritur; siue ad alias spectent Ecclesias.*

§. 18.

Imponentes decimas, & alia onera personis Ecclesiasticis, Monasterijs, aut eorum fructibus.

Quiuè Collectas, Decimas, Talleas, Præstantias, & alia onera Clericis, Prelatis, & alijs personis Ecclesiasticis, ac eorum, & Ecclesiarum, Monasteriorũ, & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum bonis, illorũq; fructibus, redditibus, & prouẽtibus huiusmodi absque simili Romani Pontificis speciali & expressa licentia imponunt, & diuersis etiam exquisitis modis exigunt, aut sic imposita,

etiam

etiam à sponte dantibus, & cō cedentibus, recipiunt; Necnon qui per se, vel alios directè, vel indirectè, prædicta facere, exequi, vel procurare, aut in eisdē auxilium, consilium, vel fauorem præstare non verentur, cuiuscunque sint præeminentiæ, dignitatis, ordinis, conditionis, aut status, etiam si Imperiali, aut Regali præfulgeāt dignitate, seu Principes, Duces Comites, Barones, alii Potentatus quicūque, etiā Regnis, Prouincijs, Ciuitatibus, & Terris quoquomodo Præsidentes, Cōsiliarij, & Senatores, aut quauis etiam Pontificali dignitate insigniti; Innouantes decreta quæ super his, per sacros Canones, tā in Lateranensi nouissimè celebrato, quàm alijs Concilijs generalibus edita, etiam cum censuris, & pœnis in eis contentis,

In-

Incurrunt hanc imponentes. Accipientes quoque etiam à sponte dantibus. Illud dicitur sponte datum ad effectum incurrendi hanc censuram, quod sine alia speciali vi, aut coactione, præter exactionem seu impositionem communem datur. Hæc enim dicitur sufficiens vis, & coactio ad incurrendam hanc censuram. Si autem omninò absoluta, & libera voluntate donandi aliquid daretur, non diceretur vetitum hic accipi. Quod tamen in praxi rarò contingit.

§. 19.

Iudices sæculares, qui se interponunt in causis capitalibus, seu criminal. contra Ecclesiasticas personas.

Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & quoscunque Magistratus, & Iu-

dices

dices, Notarios, Scribas, Executores, Subexecutores quomodolibet se interponentes in causis capitalibus, seu criminalibus, contra personas Ecclesiasticas, illas processando, banniendo, capiendo, seu sententias contra illas proferendo, vel exequendo, sine speciali, specifica, & expressa huius Sãctæ Sedis Apostolicæ licentia quiq; eiusmodi licentiam ad personas, & casus non expressos extendunt vel alias illa perperam abutuntur, etiam si talia committentes fuerint Consiliarij, Senatores, Præsidentes Cancellarij, Vicecancellarij aut quouis alio nomine nuncupati.

Quomodolibet. *Per hoc verbum, incurritur hæc censura, etiam si ciuiliter agatur seu procedatur in causis capitalibus contra Ecclesiasticos.*

Non

Non incurrunt, quando in ciuilibus se interponerent. quia Bulla loquitur tantum in criminalibus. Vnde, si Iudex laicus iubeat, Clericis debitorem fugientem capi: vel si in fragranti crimine inuenitur, detineretur ab eius satellitibus ad sistendum eum suo Prælato, non incurreret hanc censuram. Nec, *qui procederet contra Clericum in minoribus, qui dimisso habitu, deliquisset enormiter.*

Caueant tamen Iudices *sæculares ab excommunicatione, quæ supra fertur contra eos qui trahunt ad suum tribunal Ecclesiasticas personas præter casus à iure concessos.*

§. 20.

Occupantes bona, aut terras Ecclesiæ Romanæ & illius iurisdictionem vsurpantes.

Item

Item excommunicamus, & anathematizamus oẽs illos, qui per se, seu alios directè, vel indirectè sub quocunq; titulo, vel colore inuadere, destruere occupare, ac detinere præsumpserint in totum, vel in partem Almam Vrbem, Regnũ Siciliæ, Insulas Sardiniæ, & Corsicæ, Terras citra Pharum, Patrimonium Beati Petri in Tuscia, Ducatum Spoletanum, Comitatum Venusinum, Sabinensem, Marchiæ Anconitanæ, Massæ Trebariæ; Romandiolæ, Campaniæ, & maritimas Prouincias, illarumque Terras, & Loca, ac Terras specialis commissionis Arnulforum, Ciuitatesq; nostras Bononiam, Cæsenam, Ariminum, Beneuentum, Perusiũ, Auinionem, Ciuitatem castelli, Tudertum, Ferrariam, Comaclum, & alias Ciuitates, Terras, & Loca vel iura ad ipsam Romanã

Ecclesiam pertinentia, dictæque Romanæ Ecclesiæ mediatè, vel immediatè subiecta, supremam iurisdictionem in illis, Nobis, & eidem Romanæ Ecclesiæ competentem de facto vsurpare, perturbare, retinere, & vexare varijs modis præsumunt, necnon adhærentes, fautores, defensores eorũ seu illis auxilium, consilium, vel fauorem quomodlibet pręstantes.

Mediatè, vel immediatè. *Illa loca dicuntur immediatè subiecta Eccl.* Romanæ *in quibus* Rom. *Pontifex immediatè Iudices, ac Magistratus constituit, vt ibidem ius dicant. Mediatè verò sunt illa, quæ non immediatè reguntur, ac iudicantur à prædictis Magistratibus, sed à Iudicibus, qui ad ea destinantur à Ciuitatibus immediatè subiectis*

biectis ipsi Romani Pontifici. Intelligunt et alij terras mediatè Romanæ Ecclesiæ subiectas, quæ iure feudi alijs Principibus subduntur, & ab ipsis reguntur, vt sunt Vrbinum, Parma, & similes.

Cæterū à præsentibus &c. *Nec Collegium Cardinalium nec Concilium Generale possit absoluere ab his censuris, cùm neutrum horum sit* Romanus *Pontifex: & sic sine speciali facultate, ab eodem* Romano *Pontifice obtenta, nō poßint absoluere.*

Nisi in mortis articulo. *Etiam in mortis periculo.*

Absolutio soli Pont. reseruatur.

Volentes præsentes nostros processus, ac omnia; & quæcūque his literis cōtenta, quousque alij huiusmodi processus à No-

à Nobis, aut Romano Pontifice pro tempore existente fiãt aut publicentur, durare, suosque effectus omnino sortiri.

Volentes præsentes nostros &c. *Per quæ verba satis liquet, censuras istas cum Auctore non expirare, & ideò perpetuas esse: donec ab Auctore eodem, vel ab alio successore reuocentur, Per quæ verba determinata relinquitur quæstio illa, An scilicet, excommunicationes in hac Bulla posita, à iure, vel ab homine censendæ sint. Nam si ab homine simpliciter essent, vtique, auctore expirato, & ipsæ expirarẽt. Atqui à perpetuæ sunt, donec reuocantur. à iure, esse, fateri debemus.*

Absoluere præsumentes excommunicantur.

Cæterum

Cæterum à prædictis sententijs nullus per alium, quã per Romanum, nisi in mortis articulo constitutus, nec etiã tũc, nisi de stãdo Ecclesiæ mãdatis, & satisfaciendo, cautione præstita, absolui possit, etiã prætextu quarumuis facultatum, & indultorum, quibuscũque personis Ecclesiasticis sæcularibus, & quorumuis Ordinum, etiam Mendicantium, ac Militiarum, Regularibus, etiã Episcopali, vel alia maiori dignitate præditis ipsisq; Ordinibus, & eorum Monasterijs, Conuentibus, & Domibus, ac Capitulis, Collegijs, Confraternitatibus, Congregationibus, Hospitalib. & locis, etiã Imperiali, Regali, & alia mundana excellentia fulgentibus per Nos & dictam Sedem, ac cũ iusuis Concilij decreta, verbo, litteris, aut alia quacunque scriptura, in genere, & in

specie,

ſpecie, conceſſorum & innouatorum, ac concedendorum, & innouandorum.

Quòd ſi fortè aliqui contra tenorem præſentium talibus, excommunicatione, & anathemate laqueatis, vel eorum alicui abſolutionis beneficium impedire de facto præſumpſerint, eos excommunicationis ſententia innodamus, grauius contra eos ſpiritualiter, & tēporaliter, prout expedire nouerimus, proceſſuri.

Papæ abſolutio non comprehendit eos, qui à præmiſſis deſtiterint.

Declarantes, ac proteſtantes quamcunque abſolutionem, etiam ſolemniter per nos faciendam, prædictos excommunicatos ſub præſentibus comprehenſos, niſi prius à præmiſſis, cum vero propo-

ſito

sito vlt erius similia non committēdi, destiterint; Ac quoq. eos, qui contra Ecclesiasticam libertatem, vt præmittitur, statuta fecerint, nisi prius statuta, ordinationes, constitutiones, pragmaticas, & decreta huiusmodi, publicè reuocauerint, & ex Archiuijs; seu capitularibus locis, aut libris, in quibus annotata reperiuntur, deleri, & cassari, ac Nos de reuocatione huiusmodi certiores fecerint, eos non comprehendere. nec eis aliter suffragari, quin etiam per huiusmodi absolutionum, aut quoscunq; alios actus contrarios, tacitos, vel expressos, ac etiam per patientiam, & tolerantiam nostram, vel successorum nostrorum, quantocunq; tempore continuatam, in præmissis omnibus, & singulis, ac quibuscunque iuribus Sedis Apostolicæ, ac S. R. E. vndecun-

cunque, & quandocunq. quęrendis, nullatenus præiudicari posse aut debere.

Non obstantibus priuilegijs, indulgentijs, indultis, & literis Apostolicis generalibus, & specialibus, supradictis, vel eorum alicui, seu aliquibus alljs cuiuscunque ordinis, status, vel conditionis, dignitatis, & præeminentiæ fuerint, etiamsi, vt præmittitur Pontificali, Imperiali, Regali. seu quauis Ecclesiastica, & mundana præfulgeant dignitate, vel eorum Regnis, Prouincijs, Ciuitatib. seu Locis à prædicta Sede, ex quauis causa, etiam per viam contractus, aut remunerationis, & sub quauis alia forma, & tenore, ac cum quibusuis clausulis, etiam derogatoriarum derogatorijs cōcessis, etiam continentibus, quod excommunicari, anathe-

thematizari, vel interdici non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de priuilegijs indulgentijs, & indultis huiusmodi, ac de ordinibus, locis, nominib. proprijs, cognominibus, & dignitatibus, eorum, mentionē, necnon consuetudinibus, etiā immemorabilibus, ac præscriptionibus quantumcunq; longissimis, & alijs quibuslibet obseruantijs scriptis, vel non scriptis, per quæ contra hos nostros processus, ac sententias quominus includantur, in eis se iuuare valeant, vel tueri.

Quæ omnia quo ad hoc, eorum omnium tenores, ac si ad verbum, nihil penitus omissso, insererentur, præsentibus pro expressis habentes, penitus tollimus, & omnino reuocamus, cæterisq; contrarijs

quibuſcunque.

Vt verò præſentis noſtri Proceſſus ad publicam omnium notitiam facilius deducantur; chartas, ſeu membranas Proceſſus ipſos continentes valuis Eccleſiæ Sancti Ioannis Lateranenſis, & Baſilicę Principis Apoſtolorum de Vrbe appendi facimus. Vt ij, quos, proceſſus huiuſmodi concernunt, quòd ad ipſos nõ peruenerint, aut quòd ipſos ignorauerint, nullam poſſint excuſationem prætendere aut ingnorantiam allegare, cum non ſit veriſimile, id remanere incognitum, quod tam patenter omnibus publicatur. Inſuper, vt proceſſus ipſi & præſẽtes literæ, ac omnia, & ſingula in eis contenta eò fiant notiora, quò in pleriſque Ciuitatibus & locis fuerint publicata: Vniuerſiss, & ſingulis Patriarchis, Primatibus, Archiepiſ-

piſcopis, Epiſcopis, & locorũ Ordinarijs, & Prælatis vbilibet conſtitutis, per hæc ſcripta committimus, & in virtute ſanctæ obedientiæ diſtrictè præcipiendo mandamus, vt per ſe, vel alium, ſeu alios, pręſentes litteras, poſtquam eas receperint, ſeu earum habuerint notitiam, ſemel in anno, aut ſi expedire viderint, etiam pluries in Eccleſijs ſuis, dum in eis maior populi multitudo ad diuina conuenerit, ſolemniter publicent, & ad Chriſtifidelium mentes reducant, nuncient, & declarent.

Quicumque audiunt confeſſiones, apud ſe has literas habeant.

Cæterum Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, alijque locorum Ordinarij, & Eccle-

fiarum Prælati, necnon Rectores, cæteriq; curam animarũ exercentes, ac presbyteri seculares & quorumuis ordinũ regulares ad audiendas peccatorum confessiones, quauis auctoritate deputati, transũptum præsentium literarum penes se habeant, easq; diligẽter legere, & percipere studeant. Volentes earumdem præsentium transumptis, etiã impressis, Notarij publici manu subscriptis, & sigillo Iudicis ordinarij Romanæ Curiæ vel alterius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fidem in iudicio, & extra illud, vbiq; locorum adhibendam fore, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginã nostræ excommunicationis, anathematzationis, interdi-

cti, innouationis, declarationis; protestationis, sublationis, commissionis, mandati, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attẽtare prę sumpserit, indignationẽ Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurũ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo sexcentesimo vigesimo primo, Sexto Idus Aprilis, Pontificatus nostri Anno Primo.

Errata ſic corrige.

P.ag.13.lin. iudicate. iudicare.
P. 8. lin. 11. egenda. agenda.
P 38. lin. 1. eundam. eundum.
P. 77. lin. 13. Patholicorum. Catholicorum.
P. 88. lin. 23. myſterij. miſterijs.
P. 95. lin. 16. vocatunt. vocarint.
P. 145. lin. 23. petitionem. petitionum.
P. 171. lin. 23. nonæ. nouæ.
P. 232. in fine. Præ. Hic.
P. 239. poſtilla in margine verſus finem poſi-
ta, ſuperflu it.
P. 250. lin. vlt. labores. labore.
P. 264. lin. 2. Cui. Qui.
P. 293. lin. 1. VI. V.

HAERETICORVM
Qui in his Conciliis damnantur,
ELENCHVS.

INDEX RERVM,

Quæ in hoc Conciliorum Compendio continentur.

Al-

Con-

tum

cur

Cyrillus

E

Eccle-

 redire

Con-

per

G

Late-

Leo

Mate-

M

Ange-

re

Papa

P

Ad

Pro-

S

X 4 *Sym-*

Z.

FINIS.

ROMAE, Ex Typographia Andreae Phaei. MDCXXIIII.
Superiorum permissu.